# IOANNIS PAULI PP. II

SUMMI PONTIFICIS

# *VERITATIS SPLENDOR*

LITTERÆ ENCYCLICÆ

CUNCTIS CATHOLICÆ ECCLESIÆ

EPISCOPIS

DE QUIBUSDAM QUÆSTIONIBUS

FUNDAMENTALIBUS

DOCTRINÆ MORALIS ECCLESIÆ

*Venerabiles Fratres in Episcopatu, salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Veritatis splendor in omnibus Creatoris operibus effulget, praesertim vero in homine facto ad imaginem et similitudinem Dei (Cfr. *Gen.* 1, 26): veritas illuminat intellegentiam hominisque libertatem informat qui hac ratione ad Dominum cognoscendum atque amandum adducitur. Propter hoc psalmista precatur: "Leva in signum super nos lumen vultus tui, Domine!" (*Ps.* 4, 7).

INTRODUCTIO

**Iesus Christus, lux vera quae illuminat omnem hominem**

1. Vocati ad salutem per fidem in Iesum Christum, "lucem veram, quae illuminat omnem hominem" (*Io.* 1, 9), homines fiunt "lux in Domino" atque "filii lucis"(*Eph.* 5, 8) et se sanctos efficiunt "in oboedientia veritatis" (*1 Petr.* 1, 22).

Haec oboedientia non semper est facilis. Post arcanum illud originale peccatum, patratum instigatione Satanae, qui "mendax est et pater" (*Io.* 8, 44) mendacii, homo continenter sollicitatur ut a Deo vivo et vero oculos deflectat eosque ad simulacra vertat (Cfr. *1 Thess.* 1, 9), commutans "veritatem Dei in mendacio (*Rom.* 1, 25); tunc etiam eius facultas veritatem cognoscendi obscuratur atque minuitur eius voluntas ei se subiciendi. Atque ita, relativismo se dedens et

dubitationi (Cfr. *Io.* 18, 38), fallacem libertatem quaerit ipsi veritati extrinsecam.

Nulla tamen erroris peccative caligo Dei Creatoris lumen ab homine ex toto amovere valet. Permanet in imo corde veritatis absolutae desiderium atque sitis eam plene cognoscendi: quod quidem significanter comprobat inexhausta hominis inquisitio in qualibet regione et parte; idem magis etiam comprobat de vitae sensu inquisitio. Scientiae et artis technicae progressus, clara testificatio facultatum intellegentiae assiduitatisque hominum, non dat humano generi vocationem quaestionum religiosarum supremarum, sed potius id concitat ut acerbissima atque suprema oppetat luctamina, quae animi sunt propria et conscientiae moralis.

2. Homo quilibet vitare non potest fundamentales interrogationes: *Quid mihi faciendum? Quomodo bonum a falso internoscendum?* Responderi potest solum virtute splendoris veritatis, quae in interiore hominis spiritu lucet, sicut psalmista confirmat" Multi dicunt "Quis ostendit nobis bona?". Leva in signum super nos lumen vultus tui, Domine" (Cfr. *Ps.* 4, 7).

Vultus Dei lumen integra sua pulchritudine super Iesu Christi vultum splendet, "qui est imago Dei invisibilis" (*Col.* 1, 15), "splendor gloriae" ipsius (*Hebr.* 1, 3), "plenus gratiae et veritatis" (*Io.* 1, 14): Is est "via, veritas et vita" (*Ibid.* 14, 6). Eam ob rem supremum responsum

ad quamlibet hominis quaestionem, ad quaestiones praesertim religiosas et morales, Iesus Christus dat, immo ipse Christus est, uti Concilium Vaticanum II affirmat: “Reapse *nonnisi im mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit*. Adam enim, primus homo, erat figura futuri, scilicet Christi Domini. Christus novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris eiusque amoris, hominem ipsi homini plane manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit” (*Gaudium et Spes*, 22).

Iesus Christus, “lumen gentium”, Ecclesiae suae vultum illuminat, quam mittit per orbem terrarum ad praedicandum Evangelium omni creaturae (Cfr. *Marc.* 16, 15); (Cfr. *Lumen Gentium*, 1) Ita Ecclesia, populus Dei in nationibus (Cfr. *ibid.* 9), dum animum intendit in historiae novas provocationes inque conatus quos homines efficiunt vitae sensum inquirentes, omnibus aperit responsionem quae ab Iesu Christi eiusque Evangelii veritate provenit. Instanter ea animadvertit suum “officium signa temporum perscrutandi eaque sub Evangelii luce interpretandi, ita ut, modo unicuique generationi accommodato, ad perennes hominum interrogationes de praesentis vitae sensu et futurae deque earum mutua relatione respondere possit” (*Gaudium et Spes*, 4).

3. Ecclesiae Pastores, cum Petri Successore coniuncti, fidelibus praesto sunt hoc in conatu,

eos comitantur et regunt Magisterio suo, amoris et misericordiae verba semper nova inveniendo, quibus non solum credentes, verum omnes bonae voluntatis homines alloquantur. Concilium Vaticanum II mirum est eiusmodi Ecclesiae agendi rationis testimonium, quae “in humanitate versata” (PAULI VI *Allocutio ad Coetum generalem Nationum Unitarum*, die 4 oct. 1965: Insegnamenti di Paolo VI, III (1965) 507 ss.; cfr. EIUSDEM *Populorum Progressio*, 13), omni homini et toti homini servit (*Gaudium et Spes*, 33).

Novit sane Ecclesia moralem postulationem tangere intimos cuiuslibet hominis sensus, omnes implicare, etiam nondum Christum eiusque Evangelium neve Deum agnoscentes. Novit nimirum *in vitae moralis itinere salutis viam omnibus patere*, sicut aperte Concilium Vaticanum II memoravit haec scribens: “Qui Evangelium Christi Eiusque Ecclesiam sine culpa ignorantes, Deum tamen sincero corde quaerunt, Eiusque voluntatem per conscientiae dictamen agnitam, operibus adimplere, sub gratiae influxu, conantur, aeternam salutem consequi possunt”. Atque pergit: “Nec divina Providentia auxilia ad salutem necessaria denegat his qui sine culpa ad expressam agnitionem Dei nondum pervenerunt et rectam vitam non sine divina gratia assequi nituntur. Quidquid enim boni et veri apud illos invenitur, ab Ecclesia tamquam praeparatio evangelica aestimatur et ab Illo datum qui

illuminat omnem hominem, ut tandem vitam habeat" (*Lumen Gentium*, 16).

**Harum litterarum encyclicarum argumentum**

4. Semper, sed potissimum his duobus saeculis, Summi Pontifices, sive privatim sive cum Collegio episcoporum, moralem institutionem excoluerunt atque proposuerunt ad *varios et dissimiles vitae humanae ambitus* pertinentem. Christi Iesu nomine et auctoritate ii hortati sunt, redarguerunt, explanaverunt; in contentionibus pro homine, suo obsequentes officio, confirmaverunt, sustinuerunt, consolati sunt; Spiritus veritatis auxilio muniti meliori inquisitioni profuerunt moralium postulationum in re sexuali humana, in re familiari, sociali, oeconomica et politica. Eorum doctrina est tum in Ecclesiae traditione tum in humani generis historia acrior exquisitio cognitionis moralis (Cfr. PII XII *Nuntius radiophonicus in quinquagesima anniversaria memoria «Rerum Novarum»*, die 1 iun. 1941: *AAS* 33 (1941) 195 ss.; ita etiam IOANNIS XXIII *Mater et Magistra*, die 15 maii 1961: *AAS* 53 (1961) 410 ss.).

Hodie tamen *necessarium videtur recogitare de institutionis moralis Ecclesiae universitate*, ut definite in luce ponantur quaedam doctrinae catholicae fundamentales veritates quae in periculo versantur deformationis vel negationis ob rerum adiuncta aetatis nostrae. Effecta est enim *nova*

*condicio in ipsa communitate christiana*, quae novit diffusionem multarum dubitationum obiectionumque humanae et psychologicae indolis, socialis et culturalis, religiosae et etiam proprie theologicae, quod attinet ad morales Ecclesiae disciplinas. Iam non agitur de oppositibus ex aliqua parte et per occasionem factis, verum de patrimonio morali, in plenam et obstinatam controversiam adducto, fundamento posito quarundam opinionum anthropologicarum et ethicarum. Pro fundamento ponitur appulsus plus minusque apertus evulgatarum cogitationum qui efficit ut evellatur libertas humana a sua essentiali et constitutiva congruentia cum veritate. Sic reicitur translaticia doctrina de lege naturali, de universalitate atque permanenti eius praeceptionum auctoritate; improbandae simpliciter putantur aliquae Magisterii praescriptiones morales; ipsum Magisterium ducitur non debere in rem moralem se interponere, nisi forte ut "conscientias adhortetur" et "valores proponat", ex quibus deinde unusquisque proposita vitaeque studia depromat.

Singulariter denotanda est *discrepantia inter Ecclesiae translaticiam responsionem et quasdam theologicas sententias* quae etiam in Seminariis atque theologicis studiorum ordinibus vulgantur, *de summi ponderis quaestionibus* pro Ecclesia et

christianorum fidei vita, nec non pro ipsa humana consociatione.

Singillatim quaeritur: mandata divina, in corde hominis inscripta atque Foederis partes, valentne re vera singulorum hominum cunctarumque societatum dirigere cotidianas electiones? Licetne Deo oboedire ideoque Deum proximumque amare, his mandatis divinis non servatis omnibus in rerum adiunctis? Diffusa insuper est sententia cuius vi dubitatur de intrinseco atque indissolubili vinculo copulatae cohaerentiae fidem inter et rem moralem, veluti si, fidei tantum ratione habita, diiudicandum sit de facultate sese ponendi in Ecclesiae dicione deque ipsius interiore unitate, dum in morali ambitu multiplicitas toleranda esset sententiarum institutionumque, uniuscuiusque subiectivae conscientiae vel socialium doctrinaliumque contextuum varietati permissorum.

5. Hoc in contextu adhuc exstanti scribere statuimus – sicut in Litteris Apostolicis Spiritus Domini nuntiavimus, Calendis Augustis anno millesimo nongentesimo octogesimo septimo editis, secundo expleto saeculo ab obitu sancti Alfonsi Mariae dè Liguori – Litteras Encyclicas quae “fusius altiusque quaestiones ad fundamenta ipsa theologiae moralis spectantes tractent” (IOANNIS PAULI PP. II *Spiritus Domini*, die 1 aug. 1987: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, X, 3

(1987) 149), fundamenta a quibusdam theologiae moralis aetatis nostrae studiis vulnerata.

Vos compellimus, Venerabiles Fratres in Episcopatu qui Nobiscum responsalitatem custodiendi "sanam doctrinam" (*2 Tim.* 4, 3) communicatis, *ut distincte designemus aspectus quosdam doctrinales qui decretorii sunt in vero illo obeundo discrimine*, tot tantaeque sunt difficultates inde exsurgentes pro christifidelium vita morali atque pro communione in Ecclesia, sic ut pro recta atque consentienti sociali vita.

Si hae Litterae Nostrae Encyclicae, tamdiu optatae, nunc tantum typis excuduntur, hoc factum est etiam quia opportunum duximus Catholicae Ecclesiae Catechismum praeire, utpote qui integram plenamque exhibeat Christianae doctrinae moralis expositionem. Catechismus praebet credentium vitam moralem ex ipsius fundamentis multiplicibusque significationibus, prout est vita "filiorum Dei": "Agnoscentes in fide suam novam dignitatem, christiani vocantur ut iam "digne Evangelio Christi conversentur" (*Phil.* 1, 27). Per Sacramentorum receptionem perque orationem ipsi quidem Christi gratiam accipiunt eiusque Spiritus dona, quae eos accommodant ad hanc novam vitam" (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 1692). Se revocantes itaque ad Catechismum "veluti ad comprobatam tutamque expositionem pro institutione doctrinae catholicae" (IOANNIS PAULUS PP. II *Fidei*

*Depositum*, 4), hae Litterae Encyclicae *quasdam solummodo praecipuas tractabunt doctrinae moralis Ecclesiae quaestiones*, necessarium quoddam inducentes discrimen circa quaestiones de ethica deque morali doctrina inter studiosos viros agitatas. Hoc est proprium argumentum harum Litterarum Encyclicarum, quibus exponere cupimus de agitatis quaestionibus rationes institutionis moralis, Sacris Litteris nisae et viva apostolica Traditione (Cfr. *Dei Verbum*, 10), in luce ponentes antecedentia et consecutiones contentionum quae eiusmodi institutionem afficiunt.

## CAPUT I

### **"Magister, quid boni faciam...?"** (*Matth.* 19, 16) **Christus atque responsum ad moralem interrogationem**

### **"Et ecce unus accedens"** (*Ibid.*)

6. *Iesu colloquium cum divite iuvene*, a Matthaeo relatum in capitulo XIX sui Evangelii, utilem exhibet designationem ad repetendam ratione viva atque efficaci *ipsius moralem institutionem*: "Et ecce unus accedens ait illi: "Magister, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?". Qui dixit ei: "Quid me interrogas de bono? Unus est bonus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata". Dicit illi: "Quae?". Iesus autem dixit: "Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora

patrem et matrem et diliges proximum tuum sicut teipsum”. Dicit illi adulescens: “Omnia haec custodivi. Quid adhuc mihi deest?”. Ait illi Iesus: “Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me” (*Matth.* 19, 16-21)” (Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Epist. Ap. «Parati semper» ad iuvenes Internazionali vertente Anno Iuventuti dicato*, 2-8, die 31 mar. 1985: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, VIII, 1 (1985) 759-776).

7. “*Et ecce unus...*”. In adulescente, quem Matthaei Evangelium non nominat, agnoscendus est *quivis homo qui*, scienter vel inscienter, *Christum adit, hominis Redemptorem, eumque percontatur de re morali*. Pro adulescente, prius quam rogatio de legibus servandis, est *petitio plenitudinis significationis pro vita*. Et, reapse, haec est appetitio propria cuiusvis humani consilii operisve, secreta inquisitio atque intima impulsio libertatem concitans. Haec interrogatio est, demum, compellatio ad Bonum supremum quod nos allicit vocatque ad se; est vocantis Dei resiliens vox, vitae hominis origo et finis. Hoc prorsus sub respectu Concilium Vaticanum II hortatum est ad perficiendam theologiam moralem, ita ut eius expositio altissimam collustret quam fideles in Christo receperunt vocationem (Cfr. *Optatam Totius*, 16), unicum quidem responsum quod desiderium cordis hominum plene expleat.

*Ut homines eiusmodi cum Christo "occursum" ad effectum adducant, Deus Ecclesiam suam voluit.* Ipsa, enim, "hoc unum assequi cupit: ut a quolibet homine Christus inveniatur, ut idem Christus cum unoquoque vitae iter conficiat (IOANNIS PAULI PP. II *Redemptoris Hominis*, 13).

**"Magister, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?"** (*Matth.* 19, 16)

8. Ex imo corde exsurgit interrogatio, qua Iesus Nazarethanus est exquisitus a divite adulescente: *cuiusque hominis vitae est, interrogatio essentialis, cui respondere oportet*: illa enim pertinet ad bonum morale colendum atque vitam aeternam. Qui Iesum alloquitur novit sane boni moralis conexionem exstare cum suae fortunae plena impletione. Est enim ille pius Israelita, qui vixit, ut ita dicamus, sub umbra Legis Domini. Ex eo quod Iesum percontatur colligere possumus eum hoc facere Legis responsionem nullatenus nescientem. Credibilius est personae Iesu invitamentum novas de bono morali percontationes in eo exciisse. Animadvertit profecto necessitatem conferendi cum Eo qui suam inceperat praedicationem hac nova fundamentali adhortatione: "Impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei; paenitemini et credite Evangelio" (*Marc.* 1, 15).

*Oportet aetatis nostrae homines rursus in Christum animum intendant ab Eo accepturi responsum de bono et de malo.* Ipse est Magister, Qui resurrexit, in

semetipso vitam habens, Quique semper adest Ecclesiae suae universoque terrarum orbi. Idem fidelibus Scripturas aperit, atque Patris voluntatem plene revelans, veritatem docet de morali ratione agendi. Fons primus atque culmen dispensationis salutis, historiae humanae Alpha et Omega (Cfr. *Apoc.* 1, 8; 21, 6; 22, 13), Christus hominis condicionem revelat eiusque integram vocationem. Hanc ob causam, "Homo, qui funditus se perspicere cupit – non tantum secundum quasdam subitarias, imperfectas, saepe exteriores, immo etiam specie sola apparentes rationes vel regulas suae vitae – debet sese ad Christum conferre cum sua anxietate et dubitatione, cum sua infirmitate et improbitate, cum vita sua et morte. Is debet quasi cum toto, quod ipse est, intrare in eum; debet "asciscere" atque assumere sibi omnem veritatem Incarnationis et Redemptionis ut rursus se reperiat. Qui intimus processus si in illo perficitur, homo fructus edit non sola Dei adoratione, verum etiam magna sui ipsius admiratione" (IOANNIS PAULI PP. II *Redemptor Hominis*, 10).

Si ergo volumus evangelicam doctrinam de moribus penitus perspicere et id quod inest in ea, altum et immutabile, comprehendere, nobis est accurate divitis adulescentis evangelici sensus interrogationis inquirendus et, plus etiam, responsionis Iesu sensus, ab Eo ductis. Iesus

enim, subtili quadam psychologica perspicientia, respondet quasi manu ducens adulescentem, pedetemptim, ad plenam veritatem.

**“Unus est bonus”** (*Matth.* 19, 17)

9. Iesus dicit: “Quid me interrogas de bono? Unus est bonus. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata” (*Ibid.*). In evangelistarum Marci et Lucae narratione interrogatio sic sonat: “Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus” (*Marc.* 10, 18; cfr. *Luc.* 18, 19).

Antequam interrogationi respondeat Christus adulescentem monet ut secum animo volutet qua de causa ille interrogationem protulerit. “Magister bonus” ei qui interrogat – nobisque omnibus – declarat responsionem ad interrogationem: “Quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?”, inveniri posse tantum animum et cor intendendo in Eum Qui “solus est bonus”: “Nemo bonus est nisi unus Deus” (*Ibid.*). *Deus unus respondere potest interrogationi de bono, quia Ipse est Bonum.*

*Secum quaerere de bono*, re ipsa, *se convertere ad Deum*, bonitatis plenitudinem, *significat*. Iesus ostendit interrogationem sibi ab adulescente propositam re vera esse potissimum *interrogationem religiosam* et bonitatem, quae trahit simulque hominem obstringit, suum habere fontem in Deo, ipsum Deum esse, Qui solus dignus est qui ametur “in toto corde, in tota anima et in tota mente” (*Matth.* 22, 37), Qui est fons beatitudinis hominis. Iesus quaestionem de actione morali

bona ad eiusdem revocat radices religiosas, ad Dei confessionem, bonitatis unicae, vitae aeternae plenitudinis, termini extremi actionis humanae, perfectae beatitudinis.

10. Ecclesia, Magistri verbis edocta, tenet hominem, ad Creatoris imaginem factum, Christi sanguine redemptum atque Spiritus Sancti praesentia sanctificatum, vitae suae *finem ultimum* habere *in eo ut sit "in laudem gloriae" Dei* (Cfr. *Eph.* 1, 12), efficiendo ut unaquaeque suarum actionum ipsius splendorem repercutiat. "Cognosce ergo te, decora anima, quia *imago es Dei* – scribit sanctus Ambrosius –. Cognosce te, homo, quia gloria es Dei (*1 Cor.* 11, 7). Audi quomodo gloria. Propheta dicit: *"mirabilis facta est cognitio tua ex me"* (*Ps. 139 (138)*, 6), hoc est: in meo opere tua mirabilior est maiestas, in consilio hominis tua sapientia praedicatur. Dum me intueor, quem tu in ipsis cogitationibus occultis et internis affectibus deprehendis, scientiae tuae agnosco mysteria. Cognosce ergo te, homo, quantus sis et adtende tibi..." (S. AMBROSII *Exaemeron*, dies VI, sermo IX, 8, 50: *CSEL* 32, 241).

*Quod homo est et facere debet, tum patefit, cum Deus se ipsum revelat.* Decalogus enim his innititur verbis: "Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me" (*Ex.* 20, 2-3). "In decem verbis" Foederis cum Israel, et in tota

Lege Deus se cognoscendum et agnoscendum praebet tamquam Eum, Qui "solus est bonus"; tamquam Eum Qui, quamvis peccatum intercesserit, "exemplar" esse pergit moralis actionis ad quam vertitur postulatum: "Sancti estote, quia sanctus sum ego, Dominus Deus vester" (*Lev.* 19, 2); tamquam Eum, Qui in suo amore erga hominem manet fidus, ei donat Legem suam (Cfr. *Ex.* 19, 9-24; 20, 18-21), ut redintegret pristinam concordiam cum Creatore totoque cum universo, atque praesertim eum deducat in amorem suum: "Ambulabo inter vos et ero vester Deus, vosque eritis populus meus" (*Lev.* 26, 12).

*Vita moralis apparet veluti* responsio debita gratuitis inceptis, quae Dei amor pro homine multiplicat. Est *amoris responsio*, secundum *Deuteronomii* enuntiatum de praecipuo mandato: "Audi, Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua. Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, et inculcabis ea filiis tuis" (*Deut.* 6, 4-7). Ita vita moralis, amore Dei gratuito dato implicata, Eius gloriam repercutit: "Diligenti Deum sufficit ei placere quem diligit: quia nulla maior expetenda est remuneratio, quam ipsa dilectio: sic enim caritas ex Deo est, ut Deus ipse sit caritas" (S. LEONIS MAGNI *Sermo XCII*, cap. III: *PL* 54, 454).

11. Affirmatio “unus solus est bonus” nos remittit ad mandatorum “primam tabulam”, quae nos inducit ut Deum agnoscamus Dominum unicum et summum Eique soli cultum exhibeamus propter Ipsius infinitam sanctitatem (Cfr. *Ex.* 20, 2-11). *Bonum est pertinere ad Deum, Ei oboedire*, cum Eo humiliter ambulare faciendo iustitiam, diligendo pietatem (Cfr. *Mic.* 6, 8). *Agnoscere Dominum veluti Deum est caput praecipuum, Legis cor*, a quo proveniunt et ad quod diriguntur particularia praecepta. Per mandatorum rem moralem patefit populi Israel pertinentia ad Dominum, quia Deus unus Ipse est bonus. Hoc est Sacrarum Scripturarum testimonium, quarum unaquaeque pagina permeatur vivida absolutae sanctitatis Dei perceptione: “Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum” (*Is.* 6, 3).

At si Deus unus est Bonum, nullus hominum conatus, ne gravissima quidem mandatorum observantia, valet Legem “implere”, agnoscere scilicet Dominum veluti Deum Eique tribuere adorationem Ipsi soli debitam (Cfr. *Matth.* 4, 10). “Impletio” provenit tantum a divina donatione: est enim oblatio cuiusdam societatis cum Bonitate divina quae se patefacit atque expletur in Iesu, in eo quem dives adulescens vocat verbis “Magister bone” (*Marc.* 10, 17; *Luc.* 18, 18). Quod adulescens nunc suspicare tantum forsitam valet, plene tandem revelabitur ab ipsa Iesu invitatione: “Veni, sequere me” (*Matth.* 19, 21).

**"Si vis in vitam ingredi, serva mandata"** (*Ibid.* 19, 17)

12. Deus tantum respondere potest interrogationi de bono, quia Ipse est Bonum. At Deus iam responsum dedit huic interrogationi: hoc fecit quando *creavit hominem eumque* sapientia et amore cuidam fini *accommodavit* per legem in ipsius corde inscriptam (Cfr. *Rom.* 2, 15), "legem naturae". Haec "nihil aliud est nisi lumen intellectus insitum nobis a Deo, per quod cognoscimus quid agendum et quid vitandum. Hoc lumen et hanc legem dedit Deus homini in creatione" (S. THOMAE In dueo praecepta caritatis et in decem legis praecepta. Prologus: «Opuscula theologica», II, n. 1129, Ed. Taurinens. (1954) 245; cfr. EIUSDEM *Summa Theologiae*, I-II, q. 91, a. 2; *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 1955). Hoc deinde exsecutus est *in Israel historia*, praesertim "decem verbis", sive mandatis in Sina, per quae Ille exsistentiam condidit populi Foederis (Cfr. *Ex.* 24), eumque vocavit ut esset sibi "in peculium de cunctis populis", "gens sancta" (*Ibid.* 19, 5-6), qui ipsius sanctitatem inter gentes fulgere faceret (Cfr. *Sap.* 18, 4; *Ez.* 20, 41). Decalogi donum est promissum Novique Foederis signum, cum lex denuo funditusque in corde hominis scribetur (Cfr. *Ier.* 31, 31-34), se substituens in locum legis peccati, quod cor illud deturpaverat (Cfr. *ibid.* 17, 1). Tunc dabitur "cor novum", quia in eo inhabitabit "spiritus novus,

Spiritus Dei (Cfr. *Ez.* 36, 24-28) (Cfr. S. MAXIMI CONFESSORIS *Quaestiones ad Thalassium*, q. 64: *PG* 90, 723-728).

Propter hoc, post gravem definitionem "Unus solus est bonus", Iesus dicit adulescenti: "Si vis in vitam ingredi, serva mandata" (*Matth.* 19, 17). Declaratur hac ratione *arta necessitudo inter vitam aeternam atque oboedientiam divinis mandatis*: etenim Dei mandata significant homini viam vitae ad quam adducunt. Ex ipso ore Iesu, novi Moysis, iterum hominibus praebentur Decalogi mandata; Ipse ea penitus confirmat nobisque proponit veluti viam salutisque condicionem. *Mandatum nectitur promissioni*: in Foedere Antiquo promissionis obiectum exstabat possessio terrae in qua populus vitam ageret in libertate et secundum iustitiam (Cfr. *Deut.* 6, 20-25); in Novo Foedere promissionis obiectum est "regnum caelorum", sicut declarat Iesus iniens "Sermonem in Monte" – sermonem copiosiorem plenioremque formam redigentem Novae Legis (Cfr. *Matth.* 5, 7) –, perspicue congruentem cum Decalogo a Deo Moysi concredito in monte Sinai. Ad eandem Regni rerum veritatem pertinet locutio "vita aeterna", quae est eiusdem vitae Dei participatio; expletur in plenitudine sua tantum post mortem, at perstat in fide iam nunc veritatis lumen, significationis fons pro vita, plenitudinis incipiens participatio in Christo sectando. Dicit enim Iesus discipulis post occursum adulescentis

divitis: “Omnis, qui reliquit domos vel fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit”(*Ibid.* 19, 29).

13. Iesu responsio satis non est adulescenti, qui perstat interrogans Magistrum de mandatis servandis: “Dicit illi: «Quae?» (*Ibid.* 19, 18). Quaerit quid sibi faciendum sit in vita ut Dei sanctitatis agnitio manifestetur. Postquam adulescentis mentem in Deum convertit, Iesus ei commemorat Decalogi mandata quae pertinent ad proximum: «Iesus dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem et matrem, diliges proximum tuum sicut teipsum»” (*Ibid.* 19, 18-19).

Ex colloquii contextu et, praesertim, ex comparatione Matthaei textus cum Lucae et Marci locis parallelis, patet Iesum non recensere velle omnia et singula mandata ad “ingrediendum in vitam” necessaria, sed potius adulescentem commonefacere *“naturae centralis” Decalogi* prae quovis alio praecepto, utpote quae id interpretetur, quod homini significet “Ego sum Dominus, Deus tuus”. Nostram attentionem effugere non potest quae sint Legis mandata de quibus Dominus, ante omnia et peculiariter, adulescentem monet: quaedam sunt mandata, quae ad “alteram tabulam”, quae dicitur, Decalogi pertinet, quorum summarium (Cfr. *Rom.* 13, 8-10)

et fundamentum est *mandatum amoris proximi*: "Dilige proximum tuum sicut teipsum" (*Matth.* 19, 19; cfr. *Marc.* 12, 31). Hoc mandato diligenter significatur *peculiaris dignitas personae humanae* quae est "sola creatura quam Deus propter seipsam voluit" (*Gaudium et Spes*, 24). Diversa Decalogi mandata reapse nihil aliud sunt quam repercussio unius mandati pertinentis ad bonum personae, eadem ratione qua multiplicia bona notant ipsius identitatem naturae spiritalis et corporeae quod attinet ad Deum, ad proximum adque rerum creatarum universum. Sicut fert *Catholicae Ecclesiae Catechismus*, "decem mandata ad Dei Revelationem pertinent; eodem autem tempore nos veram hominis humanitatem docent. Officia essentialia in luce ponunt et, idcirco, indirecto, iura fundamentalia naturae personae humanae inhaerentia" (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 2070).

Mandata, quorum Iesus adulescentem commonefacit quocum loquitur, *bonum* tutantur personae humanae, Dei imaginis, per eius *bonorum* tutelam. "Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices" normae morales sunt, quae verbis vetantibus sunt expressae. Praecepta negativa fortius significant postulatum absolutum protegendi vitam humanam, communionem personarum in matrimonio, possessionem privatam, veritatis amorem, bonam famam.

Sunt quidem mandata fundamentales condiciones ad proximi amorem; eorum insuper exstant recognitio. *Primam constituunt mansionem in itinere erga libertatem* et eius initium: “Prima est ergo libertas – scribit sanctus Augustinus – carere criminibus... sicuti est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium et cetera huiusmodi. Cum coeperit ea non habere homo (debet autem non habere omnis christianus homo), incipit caput erigere ad libertatem; sed ista inchoata est, non perfecta libertas...” (S. AUGUSTINI *In Iohannis Evangelium Tractatus*, 41, 10: *CCL* 36, 363).

14. Hoc profecto non significat Christum velle amor proximi praecedat vel is a Dei amore separetur. Contrarium verum est, sicut apparet ex eius dialogo cum legis doctore: huic enim, qui ex eo simillima quaerit ac adulescens, *duo mandata amoris Dei et proximi* indicat (Cfr. *Luc.* 10, 25-27), monens solam eorum observantiam ad vitam aeternam ducere: “Hoc fac et vives” (*Luc.* 10, 28). Significans quoquo modo est, alterum prorsus horum mandatorum Legis doctoris curiositatem concitare atque interrogationem: “Quis est meus proximus?” (*Ibid.* 10, 29). Magister per parabolam boni Samaritani respondet; quae parabola cardo est ad intellegendum proximi amoris mandatum (Cfr. *ibid.* 10, 30-37).

Duo mandata, ex quibus "universa Lex pendet et Prophetae" (*Matth.* 22, 40), inter se arte coniuncta sunt et penetrant. *Eorum indissolubilem unitatem* Christus suis verbis suaque vita testificatur: eius missio ad summum pervenit in Cruce, quae redimit (Cfr. *Io.* 3, 14-15), quae est signum ipsius indivisibilis in Patrem inque genus humanum amoris (Cfr. *ibid.* 13, 1).

Ceteroqui, cum Vetus tum Novum Foedus clare affirmant *sine proximi amore*, qui expletur per mandatorum observantiam, *verum Dei amorem non esse possibilem*. Id singulari cum vi sanctus Ioannes scribit: "Si quis dixerit: "Diligo Deum", et fratrem suum oderit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, non potest diligere" (*1 Io.* 4, 20).

Evangelista morali Christi praedicationi consonat, miro et indubitato modo indicatae in parabola boni Samaritani (Cfr. *Luc.* 10, 30-37) et in "sermone" de ultimo iudicio (Cfr. *Matth.* 25, 31-46).

15. In "Sermone super Monte", qui disciplinae moralis evangelicae est *magna charta* (Cfr. S. AUGUSTINI *De Sermone Domini in Monte*, I, 1, 1: *CCL* 35, 1-2), Iesus dicit: "Nolite putare quoniam veni solvere legem aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere" (*Matth.* 5, 17). Christus est Scripturarum clavis: "Scrutamini Scripturas: illae sunt quae testimonium perhibent de me" (Cfr. *Io.* 5, 39); ipse est centrum

oeconomiae salutis, Veteris et Novi Testamenti recapitulatio, Legis promissorum eorumque expletionis in Evangelio; vinculum est vivum aeternumque inter Vetus Novumque Foedus. Pauli sententiam illustrans "*Finis* Legis est Christus" (*Rom.* 10, 4), sanctus Ambrosius scribit: "Non defec tus utique, sed *plenitudo legis in Christo est*; quia venit legem non solvere, sed implere. Sicut enim Testamentum est Vetus, sed omnis veritas in Novo est Testamento: ita et lex per Moysen data figura legis est. Vere ergo illa lex veritatis exemplar est" (S. AMBROSII *In Psalmum CXVIII Expositio*, Sermo 18, 37: PL 15, 1541; cfr. S. CHROMATII AQUILEIENSIS *Tractatus in Matthaeum*, XX, I, 1-4: *CCL* 9/A, 291-292).

*Iesus ad plenitudinem adducit mandata Dei*, praesertim mandatum amoris proximi, *ipsius postulata ad altiorem praestantioremque adducens rationem*: proximi amor oritur *ex corde quod amat*, et quod, ex eo quod amat, valet *praestantissima postulata* implere. Iesus ostendit mandata haberi non posse veluti terminum minimum non praetereundum, sed potius ut semitam quae patet ad morale spiritaleque perfectionis iter, cuius anima est amor (Cfr. *Col.* 3, 14). Sic mandatum "Non occides" fit invitatio ad amorem sollicitum qui vitam proximi tuetur ac fovet; mandatum vetans adulterium fit invitatio ad intemeratum contuitum, qui valet corporis nuptialem significationem vereri: "Audistis quia dictum est

antiquis: *Non occides*; qui autem occiderit, reus erit iudicio. *Ego autem dico vobis*: qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio... Audistis quia dictum est: "*Non moechaberis; ego autem dico vobis*: Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo" (*Matth.* 5, 21-22. 27-28). *Iesus ipse est viva Legis "adimpletio"* quatenus ipse germanam Legis significationem implet sui ipsius dono toto: *Ipse fit Lex personalis et viva*, quae ad sui adsectationem invitat, gratiam per Spiritum donat communicandi ipsius vitam eiusque amorem atque robur praebet ad eum testificandum in electionibus atque operibus (Cfr. *Io.* 13, 34-35).

**"Si vis perfectus esse"** (*Matth.* 19, 21)

16. De mandatis responsio non satisfacit adulescenti, qui Iesum percontatur: "Omnia haec custodivi. *Quid adhuc mihi deest?*" (*Ibid.* 19, 20). Est sane res difficilis posse tuta conscientia affirmare: "Omnia haec custodivi", si recte perpenditur pondus postulatorum Lege Dei conclusorum. Atque, tametsi ille eiusmodi dat responsionem atque ab adulescentia firmiter magnoque animo optimam doctrinae moralis speciem custodivit, dives adulescens agnoscit se longe abesse a meta: coram Iesu animadvertit se aliqua re carere. Huius inopiae conscientiam compellat Iesus postrema sua responsione: *desiderium* deprehendens *plenitudinis quae mandatorum interpretationem plane legitimam exsuperet*, Magister bonus adulescentem

invitat, ut perfectionis viam ingrediatur: “Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me” (*Ibid.* 19, 21).

Sicut praecedens Christi responsionis locus, ita et hic legendus et interpretandus est in contextu universi nuntii moralis Evangelii, et praesertim, in contextu Sermonis in Monte habiti, de beatitudinibus (Cfr. *ibid.* 5, 3-12) quarum prima est sane pauperum beatitudo, “pauperum spiritu”, uti Matthaeus definit (*Ibid.* 5, 3), id est humilium.

Hoc sub respectu affirmari potest beatitudines quoque in responsione contineri qua Iesus ad adulescentem interrogantem dat: “Quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?”. Omnis namque beatitudo promittit, singulari sua ratione, illud prorsus “bonum”, quod hominem aperit vitae aeternae, immo ipsum est vita aeterna.

*Beatitudines* proprie non peculiares agendi normas statuunt, sed de habitibus deque exsistentiae fundamentalibus affectibus loquuntur, ideoque *non idem ad amussim valent ac mandata*. Ceterum *nulla exstat separatio vel alienatio* inter beatitudines et mandata: utraque ad bonum pertinent, ad vitam aeternam. Sermo in Monte nuntio octo beatitudinum incipit, sed necessitudinem etiam continet cum mandatis (Cfr. *Matth.* 5, 20-48). Eodem tempore Sermo ille apertionem et directionem mandatorum ostendit ad prospectum perfectionis, quae propria est

beatitudinum. Hae sunt, imprimis, *promissiones*, e quibus manant oblique etiam vitae moralis *praescriptiones*. In sua nativa altitudine sunt quaedam *Christi imago ab ipso picta et, ob id ipsum, adhortationes sunt ad eum sequendum adque vitam cum Ipso communicandam* (Cfr. *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 1717).

17. Nescimus quousque Evangelii adulescens altam ac severam sententiam prioris Iesu responsi intellexerit: "Si vis ad vitam ingredi, serva mandata"; certum tamen est curam, quam adulescens manifestat adversus observantiam omnium mandatorum moralium, necessarium esse agrum, in quo germinare et maturescere possit perfectionis desiderium, id est effectionis eorum significationis in Christi adsectatione. Iesu colloquium cum adulescente nos adiuvat ut intellegamus *condiciones ad incrementum morale hominis ad perfectionem vocati*: adulescens, qui mandata servavit, non aptum se ostendit solis viribus suis ad subsequentem gradum faciendum: ad quem faciendum matura hominis libertas requiritur: "Si vis", atque divinae gratiae donum: "Veni, sequere me".

*Perfectio exigit illam donationis sui maturitatem ad quam vocatur hominis libertas*. Adulescenti Iesus mandata indicat tamquam primam condicionem necessariam ad vitam aeternam habendam, cum relictio omnium, quae iuvenis possidet, et Domini assectatio speciem induant condicionis: "Si vis...".

Iesu verbum denotat peculiarem dynamicen auctionis libertatis ad suam ipsius maturitatem et simul *testatur nexum libertatis cum lege divina*. Hominis libertas atque Dei lex non repugnant inter se, sed, contra, invicem se revocant. Christi discipulus novit suam esse ad libertatem vocationem: "Vos enim in libertatem vocati estis, fratres" (*Gal.* 5, 13), cum gaudio et animo celso apostolus Paulus profitetur. Statim autem distinguit: "Tantum ne in occasionem detis carni, sed per caritatem servite invicem" (*Gal.* 5, 13). Firmitas qua Paulus obstat iis qui purgationem suam Legi committunt, nihil commune habet cum falsa hominis "liberatione" a praeceptis, quae contra usui serviunt amoris: "Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam: *Non adulterabis, non occides, non furaberis, non concupisces*, et si quod aliud mandatum, in hoc verbo recapitulantur: *Diliges proximum tuum tamquam teipsum*" (*Rom.* 13, 8-9).

Ipse sanctus Augustinus, postquam de mandatorum observantia est locutus veluti de prima imperfecta libertate, sic pergit: "Quare, inquit aliquis, non est perfecta libertas? Quia "video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae"... Ex parte libertas, ex parte servitus: nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum aeternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Quidquid

peccatum est a nobis, antea deletum est in baptismo. Numquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hic viveremus. Quis autem audeat hoc dicere nisi superbus, nisi misericordia liberationis indignus?... Ergo ex eo quod remansit aliquid infirmitatis, audeo dicere, ex qua parte servimus Deo, liberi sumus; ex qua parte servimus legi peccati, adhuc servi sumus" (S. AUGUSTINI *In Iohannis Evangelium Tractatus*, 41, 10: *CCL* 36, 363).

18. Qui "carni subiectus est" Dei legem sentit tamquam onus, immo tamquam negationem aut, quoquo modo, propriae libertatis imminutionem; qui, contra, amore movetur atque "Spiritu ambulat" (Cfr. *Gal.* 5, 16) et ceteris servire cupit, in lege Dei viam invenit fundamentalem et necessariam ad amorem colendum libere electum et exercitum; immo interiorem animadvertit vehementiam – veram "necessitatem", non autem coactum – non considendi in minimis postulatis legis, sed haec postulata exsequendi in eorum "plenitudine". Agitur de itinere adhuc incerto et infirmo quoadusque in terra vivimus, sed quod perfici potest per gratiam quae efficit ut habeamus plenam filiorum Dei libertatem (Cfr. *Rom.* 8, 21), ideoque responsum vita nostra morali demus excelsae vocationi qua facti sumus "filii in Filio".

Haec ad amorem perfectum vocatio nullo modo contrahitur in quandam hominum manum.

*Invitatio* "vade, vende, quae habes, et da pauperibus", una cum promissione "habebis thesaurum in caelo" *pertinet ad omnes*, quia est fundamentalis adimpletio mandati amoris erga proximum, sicut et subsequens invitatio "veni, sequere me" est nova finita forma mandati amoris Dei. Mandata et divitis adulescentis a Iesu invitatio exstant unius indivisibilis caritatis ministerium, quae sponte sua ad perfectionem tendit, cuius mensura unus Deus est: "Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est" (*Matth.* 5, 48). In Lucae Evangelio Iesus ulterius eiusmodi perfectionis sensum definit: "Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est" (*Luc.* 6, 36).

**"Veni, sequere me"** (*Matth.* 19, 21)

19. Via simulque huius perfectionis natura stat in *Christi assectatione*, in Christo sequendo, propriis relictis bonis atque etiam semetipso. Haec prorsus est colloquii Iesu cum adulescente conclusio: "Et veni, sequere me" (*Ibid.*). Est invitatio cuius mira altitudo plene sane a discipulis percipietur post Christi resurrectionem, cum Spiritus Sanctus deducet eos in omnem veritatem (Cfr. *Io.* 16, 13).

Iesus ipse initia ponit eumque invitat, ut se sequatur. Compellatio ante omnia ad eos vertitur, quibus is peculiare munus concredit, Duodecim imprimis: sed patet etiam esse discipulos Christi, cuiusvis credentis esse condicionem (Cfr. *Act.* 6,

1). Qua de re *Christum sequi fundamentum est essentiale et naturale doctrinae moralis christianae*; sicut populus Israel sequebatur Deum, qui per desertum eum ducebat ad Terram promissionis (Cfr. *Ex.* 13, 21), ita discipulus Iesum sequi debet, ad quem Pater ipse attrahit eum (Cfr. *Io.* 6, 44).

Non solum agitur hic de doctrina audienda et de accipiendo per oboedientiam mandato, sed, radicalius, *de adhaerendo ad ipsam Christi personam*, de vita cum Eo communicanda Eiusque sorte, de Eius amanti liberaque oboedientia participanda. Illum, qui Sapientia est incarnata, fidei assensione sequendo, discipulus Iesu vere fit *Dei discipulus* (Cfr. *ibid.* 6, 45). Etenim Iesus est lux mundi, lux vitae (Cfr. *ibid.* 8, 12); pastor est qui oves ducit et nutrit, , est via, veritas et vita (Cfr. *ibid.* 10, 11-16); is est qui ad Patrem adducit, adeo ut eum videre, Filium nempe, idem valeat ac Patrem videre (Cfr. *ibid.* 14, 6). Quapropter Filium imitari, qui est "imago Dei invisibilis" (Cfr. *ibid.* 14, 6-10), Patrem imitari significat.

20. I*esus postulat ut suis vestigiis insistatur et in amoris sui via ambuletur, amoris qui fratribus se totum dat propter amorem Dei*: "Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos" (*Col.* 1, 15). Hoc "sicut" postulat Christi *imitationem*, eius caritatis, quae pedum lavatione significatur: "Si ergo ego lavi vestros pedes, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut, *quemadmodum* ego

feci vobis, et vos faciatis" (*Io.* 15, 12). Iesu ratio agendi Eiusque verba, Eius actiones atque praecepta, sunt regula moralis vitae christianae. Hae namque Eius actiones et, praecipue, Eius passio et in cruce mors, Eius in Patrem inque homines amoris sunt viva revelatio. Hunc ipsum amorem petit Iesus ut imitentur quotquot eum sequuntur. Is est *mandatum "novum"*: "Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; *sicut* dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis: si dilectionem habueritis ad invicem" (*Ibid.* 13, 14-15).

Haec particula "sicut" indicat etiam *mensuram* qua Iesus amavit, et qua eius discipuli debent invicem amare. Postquam dixit: "Hoc est praeceptum meum: ut diligatis invicem, sicut dilexi vos" (*Ibid.* 15, 12), Iesus verba dicere pergit, quae vitae eius donum sacrificale in cruce indicant, eius amoris usque "in finem" testimonium (*Ibid.* 13, 1): "Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis" (*Ibid.* 15, 13).

Adulescentem invitans ad se sequendum in perfectionis via, Iesus ab eo petit ut perfectus sit in amoris mandato, in "suo" mandato: ut se inserat in integrae donationis actum, ut imitetur videlicet et eundem ac Magistri "boni" excolat amorem, Eius qui "usque in finem" amavit. Hoc Iesus a quolibet requirit homine qui velit in Eius adsectatione se ponere: "Si quis vult post me

venire abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me" (*Matth.* 16, 24).

21. *Sequi Christum* non simplex est exterior imitatio, quia ad intima hominis pertinet. Iesu discipuli esse significat *Ei conformes fieri*, qui servus factus est usque ad sui ipsius donationem in cruce (Cfr. *Phil.* 2, 5-8). Per fidem Christus habitat in corde credentium (Cfr. *Eph.* 3, 17), atque hac ratione discipulus Domino suo assimulatur Eique conformatur. Hoc est *gratiae fructus* atque praesentiae Spiritus Sancti in nobis operam agentis.

In Christum insertus christianus fit *membrum ipsius Corporis, quod est Ecclesia* (Cfr. *1 Cor.* 12, 13. 27). Spiritu concitante, Baptismus penitus conformat fidelem Christo in paschali mortis et resurrectionis mysterio, eum *induit* Christo (Cfr. *Gal.* 3, 27): "gratulemur et agamus gratias – clamat sanctus Augustinus baptizatos alloquens –, non solum nos christianos factos esse, sed Christum (...). Admiramini, gaudete: Christus facti sumus!" (S. AUGUSTINI *In Iohannis Evangelium Tractatus*, 21, 8: *CCL* 39, 216). Mortuus peccato, baptizatus novam accipit vitam (Cfr. *Rom.* 6, 3-11): vivens per Deum in Christo Iesu, vocatur ad ambulandum secundum Spiritum adque manifestandum eius fructus in vita sua (Cfr. *Gal.* 5, 16-25). Participatio dein Eucharistiae, Novi Foederis sacramenti (Cfr. *1 Cor.* 11, 23-29), est culmen conformationis Christo, "vitae aeternae"

fonti (Cfr. *Io.* 6, 51-58), principium et robur doni integri sui ipsius, cuius Iesus – sicut testatur Paulus – memoriam facere iubet in mysteriis celebrandis inque vita: “Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiatis donec veniat” (*1 Cor.* 11, 26).

**“Apud Deum omnia possibilia sunt”** (*Matth.* 19, 26).

22. Insuavis quidem est conclusio colloquii Iesu cum divite adulescente: “Cum audisset autem adulescens verbum, abiit tristis; erat enim habens multas possessiones”(*Ibid.* 16, 22). Non homo dives tantum, sed et ipsi discipuli conturbantur appellatione quam Iesus profert ut eum sectentur, cuius sane postulata humanas appetitiones et vires exsuperant:”Auditis autem his, discipuli mirabantur valde dicentes: «Quis ergo poterit salvus esse?»” (*Ibid.* 16, 25). *At Magister remittit ad Dei potentiam*: “Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt” (*Ibid.* 16, 26).

Eodem in Matthaei Evangelii capitulo (*Ibid.* 16, 3-10), Iesus Moysis Legem de matrimonio interpretans, repudii ius reicit, ad gravius primigeniusque “principium” reducens Legis Moysis observantiam: Dei nativum propositum de homine, ad quod homo post peccatum factus est impar: “Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio

autem non sic fuit" (*Matth.* 19,8). Commemoratio "principii" conturbat discipulos, qui his verbis interpretantur: "Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere" (*Ibid.* 19, 10). Et Iesus, peculiari ratione se revocans ad caelibatus charisma "propter regnum caelorum" (*Ibid.* 19, 12), sed generalem enuntians normam, ad novam miramque remittit facultatem a Dei gratia homini praebitam: "Qui dixit eis: «Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est»" (*Ibid.* 19, 11).

Christi amorem imitari et restituere homo non potest solis viribus suis: *aptus ille fit ad hunc amorem tantum per donum acceptum*. Sicut Dominus Iesus a Patre suo amorem accipit, sic ille vicissim gratuito eum cum discipulis communicat: "Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos; manete in dilectione mea (*Io.* 15, 9). *Donum Christi est ipsius Spiritus*, cuius primus "fructus" (Cfr. *Gal.* 5, 22) est caritas: "Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis" (*Rom.* 5, 5). Secum quaerit sanctus Augustinus: "Dilectio facit praecepta servari, an praecepta servata faciunt dilectionem? Sed quis ambigat quod dilectio praecedit? Unde enim praecepta servet non habet, qui non diligit" (S. AUGUSTINI *In Iohannis Evangelium Tractatus*, 82, 3: *CCL* 36, 533).

23. "Lex enim Spiritus vitae in Christo Iesu liberavit te a lege peccati et mortis" (*Rom.* 8, 2).

His verbis apostolus Paulus nos immittit in considerationem cognationis inter legem (antiquam) et gratiam (novam legem) sub prospectu historiae Salutis quae in Christo impletur. Agnoscit ille munus institutorium Legis, quae homini peccatori facultatem tribuens metiendi impotentiam suam atque ab eo plenae suae sufficientiae iactantiam auferens, eum adaperit ad invocandam accipiendamque "vitam in Spiritu". Tantum hac in vita nova fit plana mandatorum Dei observantia. Etenim per fidem in Christo iustificamur (Cfr. *Rom.* 3, 28): quam "iustitiam" lex postulat sed nemini dare potest, christifidelis quivis patefactam invenit atque datam a Domino Iesu. Sic adhuc mirum in modum sanctus Augustinus breviter astringit Pauli dialecticam de lege et gratia: "Lex ergo data est, ut gratia quaereretur, gratia data est, ut lex impleretur" (S. AUGUSTINI *De spiritu et littera*, 19, 34: *CSEL* 60, 187).

Amor et vita secundum Evangelium cogitari nequeunt ante omnia sub praecepti ratione, quia postulant quod hominis vires praetergreditur: ea effici possunt tantum quatenus sunt fructus donationis Dei, qui ad sanitatem perducit, hominis cor reficit atque transformat per gratiam suam: "Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est" (*Io.* 1, 17).

Propter hoc vitae aeternae promissio coniungitur cum gratiae dono, atque Spiritus

donum quod accepimus iam fit "arrabon hereditatis nostrae" (*Eph.* 1, 14).

24. Patefit hoc modo peculiaris atque nativa species mandati amoris et perfectionis in quam ille intendit: agitur quidem *de facultate homini tantum exhibita a gratia*, a Dei dono eiusque amore. Ceterum, conscientia se recepisse donum et possidere in Christo Iesu amorem Dei prodit sustentatque *responsionem officii plenam* amoris integri in Deum et inter fratres, sicut sane instanter meminit apostolus Ioannes in prima sua *Epistula*: "Carissimi, diligamus invicem, quoniam caritas ex Deo est, et omnis, qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum. Qui non diligit, non cognovit Deum, quoniam Deus caritas est...

Carissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere... Nos diligimus, quoniam ipse prior dilexit nos" (*1 Io.* 4, 7-8. 11. 19).

Hic nexus indivisibilis inter Domini gratiam et hominis libertatem, inter donum et munus, a sancto Augustino explanatus est his simplicibus altisque verbis: *"Da quod iubes et iube quod vis"* (S. AUGUSTINI *Confessiones*, X, 29, 40: *CCL* 27, 176; cfr. EIUSDEM *De gratia et libero arbitrio*, XV: *PL* 44, 899).

*Donum non minuit, sed corroborat amoris morale postulatum*: "Hoc est mandatum eius, ut credamus nomini Filii eius Iesu Christi et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis" (*1 Io.* 3,

23). Licet "manere" in dilectione solum cum mandata servantur, sicut Iesus declarat: "Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut ego Patris mei praecepta servavi et maneo in eius dilectione" (*Io.* 15, 10).

Colligens quae ad intimum moralem nuntium Iesu pertinent et ad Apostolorum praedicationem, atque mira quadam synthesi magnam proponens Patrum Orientalium et Occidentalium traditionem – praesertim vero sancti Augustini – (Cfr. S. AUGUSTINI *De spiritu et littera*, 21, 36; 26, 46: *CSEL* 60, 189-190; 200-201) sanctus Thomas affirmat *Legem Novam esse Spiritus Sancti gratiam per fidem in Christo datam* (Cfr. S. THOMAE *Summa Theologiae*, I-II, q. 106, a. 1, conclus. et ad 2). Exteriora praecepta de quibus Evangelium loquitur ad hanc praeparant gratiam vel ipsius effectus in vita edunt. Etenim Nova Lex non dicit tantum quod faciendum est, sed insuper confert robur "ad faciendam veritatem" (Cfr. *Io.* 3, 21). Eodem tempore sanctus Ioannes Chrysostomus animadvertit Novam Legem promulgatam esse cum Spiritus Sanctus descendit a caelo die Pentecostes, atque pergit: Apostoli "non ex monte descenderunt tabulas manibus gestantes, ut Moyses; sed Spiritum in mente circumferentes... ipsi quoque libri viventes atque leges per gratiam effecti" (S. IOANNIS CHRYSOSTOMI *In Matthaeum*, hom. I, 1: *PG* 57, 15).

**“Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi”** (*Matth.* 28, 20)

25. Iesu colloquium cum divite adulescente *pergit*, ratione *quadam, qualibet in historiae aetate, etiam nunc*. Interrogatio: “Magister, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?” oritur in corde cuiuslibet hominis, atque semper Christus unus praebet plenam finitamque responsionem. Magister, qui Dei mandata docet, qui ad se sequendum invitat quique gratiam donat ad novam vitam, semper adest atque operatur in medio nostri, secundum promissionem: “Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi” (*Matth.* 28, 20). *Simultas temporum Christi cum homine cuiusvis aetatis fit in ipsius corpore, quod est Ecclesia*: hac de causa Dominus discipulis suis promisit Spiritum Sanctum, qui commemoraret eis eosque doceret mandata sua (Cfr. *Io.* 14, 26), atque futurus esset principium saliens ad novam in mundo vitam (Cfr. *ibid.* 3, 5-8; *Rom.* 8, 1-13).

Praecepta moralia a Deo imposita in Vetere Foedere atque nobis perfecta exhibita in Novo illo et Aeterno Foedere per ipsum Dei Filium hominem factum, *fideliter quidem sunt custodienda assidueque ad rem deducenda* a diversis culturis per saeculorum decursum. Eorum interpretationis munus ab Iesu Apostolis eorumque successoribus est concreditum, veritatis Spiritu custodiam

praebente: "Qui vos audit, me audit" (*Luc.* 10, 16). Hoc Spiritu illustrante et roborante Apostoli suum impleverunt munus praedicandi Evangelium atque ostendendi "viam" Domini (Cfr. *Act.* 18, 25), docentes in primis Christi assectationem imitationemque: "Mihi vivere est Christus" (*Phil.* 1, 21).

26. In *morali Apostolorum catechesi*, cum adhortationibus atque significationibus cum rebus historicis culturalibusque coniunctis, est doctrina ethica certis vitae rationis normis praedita: hoc colligitur ex eorum *Epistulis*, quae pertinent ad Sacras Scripturas quaeque exhibent, Spiritu Sancto rectam, explanationem praeceptorum ad rem deducendorum variis in culturalibus rerum adiunctis (Cfr. *Rom.* 12, 15; *1 Cor.* 11-14; *Gal.* 5-6; *Eph.* 4-6; *Col.* 3-4; *1 Petr.* et *Iac.*). Missi ad Evangelium praedicandum, Apostoli inde ab Ecclesiae ortu, sua inducti pastorali responsalitate, *prospexerunt probitatis morum christianorum* (Cfr. S. IRENAEI *Adversus haereses*, IV, 26, 2-5; *SCh* 100/2, 718-729), eadem ratione qua consuluerunt fidei integritati atque supernorum munerum traditioni per sacramenta (Cfr. S. IUSTINI *Apologia*, I, 66: *PG* 6, 427-430). Primi christiani, sive ab Iudaeorum populo sive a Gentibus proficiscentes, differebant ab ethnicis non solum propter suam fidem suamque liturgiam, verum etiam ob testimonium moralis rationis agendi, Nova Lege concitatum (Cfr. *1 Petr.* 2, 12 ss; cfr.

*Didaché*, II, 2; *Patres Apostolici*, ed. F. X. FUNK, I, 6-9; CLEMENTIS ALEXANDRINI *Paedagogus*, I, 10; II, 10: PG 8, 355-364; 497-536; TERTULLIANI *Apologeticum*, IX, 8: *CSEL*, 69, 24). Etenim Ecclesia fidei simulque vitae communio est: ipsius norma est "fides quae per caritatem operatur" (*Gal.* 5, 6).

Nulla laceratio debet insidiari *concordiae inter fidem et vitam: Ecclesiae unitati* vulnus infligitur non solum a christianis fidei veritatem respuentibus vel evertentibus, sed etiam ab iis qui moralia neglegunt officia ad quae eos vocat Evangelium (Cfr. *1 Cor.* 5, 9-13). Fortiter quidem Apostoli respuerunt quodlibet inter curam cordis dissidium et actus eam enuntiantes et comprobantes (Cfr. *1 Io.* 2, 3-6). Inde ab aetate Apostolica Ecclesiae Pastores patenter arguerunt agendi rationes eorum qui doctrina sua suisque moribus divisioni favebant (Cfr. S. IGNATII ANTIOCHENI *Ad Magnesios*, VI, 1-2: *Patres Apostolici*, ed. F. X. FUNK, I, 234-235; S. IRENAEI *Adversus Haereses*, IV, 33, 1.6.7: *SCh* 100/2, 802-805; 814-815; 816-819).

27. Fidem atque moralem doctrinam promovendi custodiendique in Ecclesiae unitate munus est ab Iesu Apostolis concreditum (Cfr. *Matth.* 28, 19-20), idque munus continuatur in eorum successorum ministerio. Hoc invenitur in *viva Traditione* per quam – sicut asserit Concilium Oecumenicum Vaticanum II – "Ecclesia in sua

doctrina, vita et cultu, perpetuat cunctisque generationibus transmittit omne quod ipsa est. Haec quae est ab Apostolis Traditio sub assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia proficit" (*Dei Verbum*, 8). In Spiritu Ecclesia accipit atque transmittit Sacras Scripturas veluti testimonium "magnarum rerum" quas Deus operatur in historia (Cfr. *Luc.* 1, 49), per Patrum Doctorumque virorum os confitetur veritatem Verbi incarnati, ipsius praecepta ad rem deducit caritatemque in Sanctorum Sanctarumque vita Martyrumque sacrificio, ipsius celebrat spem in Liturgia: per ipsam Traditionem christifideles recipiunt "vivam vocem Evangelii" (Cfr. *Dei Verbum*, 8), veluti sapientiae divinaeque voluntatis fidam significationem.

In interiore Traditione evolvitur, Spiritu Sancto custodiente, *authentica interpretatio* legis Domini. Idem Spiritus, qui est fons Revelationis mandatorum atque praeceptionum Iesu, spondet de eorum religiosa custodia, de fida explanatione aptaque accommodatione per temporum rerumque varietatem. Eiusmodi mandatorum "exsecutio" signum est fructusque altioris inquisitio–nis in Revelationem atque comprehensionis novarum rerum histori–carum culturaliumque sub fidei lumine. Ipsa tamen confirmet oportet revelationis continuam vim atque sese immittat in eandem interpretationem quam exhibet magna Traditio doctrinae vitaeque

Ecclesiae, quarum sunt testes Patrum doctrina, Sanctorum vita, Ecclesiae liturgia atque Magisterii institutio.

Particulatim vero, sicut adfirmat Concilium, "*munus authentice interpretandi verbum Dei scriptum vel traditum soli vivo Ecclesiae Magisterio concreditum est*, cuius auctoritas in nomine Iesu Christi exercetur" (*Ibid.* 10). Hac ratione Ecclesia in vita sua atque in sua doctrina se exhibet "columnam et firmamentum veritatis" (*1 Tim.* 3, 15), etiam veritatis de morali agendi ratione. Etenim "Ecclesiae competit semper et ubique principia moralia etiam de ordine sociali annuntiare, necnon iudicium ferre de quibuslibet rebus humanis, quatenus personae humanae iura fundamentalia aut animarum salus id exigant" (*Codex Iuris Canonici*, can. 742, 2).

Maxime de interrogationibus quae aetate hac nostra peculiarem reddunt disceptationem moralem atque circa quas novae ortae sunt propensiones atque opinationes, Magisterium, Iesu Christo obsequens atque Ecclesiae traditionem persequens, instantius animadvertit officium praebendi iudicium suum doctrinamque, ut hominibus opituletur iter facientibus erga veritatem atque libertatem.

## Caput II.

### **"Nolite conformari huic saeculo"** (*Rom.* 12, 2)

***Ecclesia et nonnullarum opinationum theologiae moralis hodiernae discretio***

**Docere quae sunt secundum sanam doctrinam** (Cfr. *Tit.* 2, 1)

28. Consideratio dialogi inter Iesum et divitem iuvenem facultatem nobis dat colligendi significationes praecipuas revelationis de actione morali in Vetere et Novo Testamento. Quae sunt: *hominis eiusque agendi rationis subordinatio Deo*, Qui “unus est bonus”; *necessitudo inter morale bonum* humanorum actuum *et vitam aeternam; Christi assectatio* quae homini perfecti amoris prospectum aperit; et tandem Spiritus Sancti donum, fons et origo vitae moralis “novae Creaturae” (Cfr. *2 Cor.* 5, 17).

De re morali cogitans *Ecclesia* semper ob oculos Iesu verba habuit, quibus Ipse iuvenem divitem est affatus, Scriptura enim Sacra semper Ecclesiae doctrinae moralis est fons vivus et felix, sicut sane meminit Concilium Vaticanum II: Evangelium est fons “omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae” (*Dei Verbum*, 7). Ea nimirum fideliter servavit quae Dei verbum docet, non modo de veritate credenda, verum etiam de actione morali, de actione scilicet quae a Deo probatur (Cfr. *1 Thess.* 4, 1), *doctrinalem progressum* consequendo, qui similis est progressui veritatum credendarum.

A Spirito Sancto custodita, qui eam deducit ad omnem veritatem (Cfr. *Io.* 16, 13), “Verbi

incarnati mysterium" in quo "mysterium hominis vere clarescit" (*Gaudium et Spes*, 22), Ecclesia numquam intermisit neque unquam scrutari intermittet.

29. Moralis Ecclesiae meditatio, quae semper effecta est sub Christi lumine, "Boni Magistri", explicata est etiam specie formave theologica, quae "*theologia moralis*" vocatur, quaeque est scientia quaedam quae divinam revelationem accipit et eandem interrogat, unaque rationis humanae postulatis respondet. Theologia moralis est meditatio quae ad "moralitatem" respicit, ad bonum scilicet et malum humanorum actuum et personae quae eosdem agit, et hoc sensu cunctis hominibus patet; sed est etiam "theologia", quatenus principium finemque moraliter agendi agnoscit in Eo qui "solus bonus est", quique se homini in Christo dedens, vitae divinae beatitatem ei porrigit.

Concilium Vaticanum II hortatum est studiosos viros ut "*specialem curam impendant Theologiae morali perficiendae*, cuius scientifica expositio, doctrina S. Scripturae magis unita, celsitudinem vocationis fidelium in Christo illustret eorumque obligationem in caritate pro mundi vita fructum ferendi" (*Optatam Totius*, 16). Ab eodem Concilio theologi, "servatis propriis scientiae theologicae methodis et exigentiis, invitantur ut *aptiores rationes* magis magisque aptas doctrinam cum hominibus sui

temporis *communicandi inquirant*, quia aliud est ipsum depositum seu Fidei veritates, aliud modus secundum quem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque scientia" (*Gaudium et Spes*, 62). Quocirca omnes fideles invitantur, nominatim vero theologi: "Fideles ergo coniunctissime cum aliis suae aetatis hominibus vivant, et perfecte eorum cogitandi atque sentiendi modos, qui per ingenii cultum exprimuntur, percipere studeant" (*Ibid.*).

Complurium theologorum conamina, Concilio adhortante, fructus iam protulerunt per ingeniosas et utiles cogitationes de fidei veritatibus credendis vitaeque accommodandis, aptius sensui et hominum nostrae aetatis interrogationibus exhibitis. Ecclesia autem, et Episcopi praesertim, quibus ante omnia institutionis ministerium demandavit Iesus Christus, grati nisum hunc recipiunt ac theologos pariter impellunt ut continuent opus, quod altus atque verus moveat "Timor Domini principium scientiae" (Cfr. *Prov.* 1, 7).

Eodem tempore in theologicis disputationibus post Concilium *nonnullae tamen inductae sunt explanationes moralis christianae quae cum "sana doctrina" non congruunt* (*2 Tim.* 4, 3). Profecto Ecclesiae Magisterium fidelibus non peculiarem theologicam methodum nedum philosophicam imponere vult, sed ut sancte custodiat et fideliter exponat Dei verbum (Cfr. *Dei Verbum*, 10), id

declarare debet quasdam theologorum propensiones vel quasdam philosophicas asseverationes minime congruere cum veritate revelata (Cfr. CONC. OECUM. VAT. I *Dei Filius*, cap. 4: DENZ-SCHÖNM., 3018).

30. Vos, Venerabiles Fratres in Episcopatu, his Litteris Encyclicis alloquentes, principia edicere cupimus necessaria ad *ea discernenda quae "sanae doctrinae" sunt contraria*, elementa illa moralis praeceptionis Ecclesiae revocantes, quae hodie in periculo erroris, ambiguitatis vel oblivionis versari videntur.

Haec sunt ceteroqui elementa ex quibus pendet "responsum de reconditis condicionis humanae aenigmatibus, quae sicut olim et hodie corda hominum intime commovent: quid sit homo, quis sensus et finis vitae nostrae, quid bonum et quid peccatum, quem ortum habeant dolores et quem finem, quae sit via ad veram felicitatem obtinendam, quid mors, iudicium et retributio post mortem, quid demum illud ultimum et ineffabile mysterium quod nostra existentiam amplectitur, ex quo ortum sumimus et quo tendimus" (*Nostra Aetate*, 1).

Haec autem aliaeque interrogationes, veluti: quid est libertas, et quae est eius cum veritate quam Dei lex complectitur necessitudo? quae sunt partes conscientiae in formanda morali hominis imagine? quomodo iura et humanae personae officia discernantur congruenter morali

veritati?, summatim haec rogatione praecipua, quam iuvenis Evangelii Iesu admovit, comprehendi possunt: "Magister, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam?". Missa ab Iesu ut Evangelium praedicet et "doceat omnes gentes..., docens eas servare omnia, quaecumque" mandavit (Cfr. *Matth.* 28, 19-20), *Ecclesia hodie quoque Magistri responsionem repetit*: haec eam lucem vimque habet ut quaestiones difficillimas et implicatissimas solvere possit. Haec ipsa lux atque vis Ecclesiam concitant ut usque explicet inquisitionem non modo dogmaticam, verum etiam moralem in ambitu quodam varias scientias complectente, sicut necesse est praesertim pro novis quaestionibus (*Gaudium et Spes*, 43-44).

Hac semper sub luce et vi *Ecclesiae Magisterium discretionis officium praestat*, monitum accipiens et restituens illud quod Paulus apostolus ad Timotheum convertebat: "Testificor coram Deo et Christo Iesu, qui iudicaturus est vivos ac mortuos, per adventum ipsius et regnum eius: praedica verbum, insta opportune, importune, argue, increpa, obsecra, in omni patientia et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila in omnibus, labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple" (*2 Tim.* 4, 1-5; cfr. *Tit.* 1, 10. 13-14).

**“Cognoscetis veritatem et veritas liberavit vos”** (*Io.* 8, 32)

31. Morales quaestiones quae maxime excutiuntur diverseque in morali aetatis nostrae inquisitione solvuntur, cum vexata quaestione, quamvis variis modis, nectuntur, quae est *hominis libertas*.

Nullum est dubium quin aetas nostra peculiarem libertatis sensum consecuta sit. “Dignitatis humanae personae homines hac nostra aetate magis in dies conscii fiunt”, ut fatebatur iam conciliaris Declaratio de libertate religiosa quae incipit verbis Dignitatis humanae (*Dignitatis Humanae*, 1; cfr. quoque IOANNIS XXIII *Pacem in Terris*, die 11 apr. 1963: *AAS* 55 (1963) 279; *Ibid.*: *l.c.,* 265 et PII XII *Nuntius radiophonicus*, die 24 dec. 1944: *AAS* 37 (1945) 14). Hinc vindicatur facultas “ut in agendo homines proprio suo consilio et libertate responsabili fruantur et utantur, non coërcitione commoti, sed officii conscientia ducti” (*Dignitatis Humanae*, 1). Peculiariter autem libertatis religiosae ius aeque ac conscientiae observantia, quae procedit ad veritatem, magis magisque tanquam fundamentum ponitur personae iurium, simul iunctimque reputatorum (Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Redemptor Hominis*, 17; EIUSDEM *Allocutio V occurrente iurisperitorum colloquio internationali*, 4, die 10 mar. 1984: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, VII, 1 (1984) 656; CONGR. PRO DOCTRINA

FIDEI, *Libertatis Conscientia*, 19, die 22 mar. 1986: *AAS* 79 (1987) 561).

Sic acrior sensus dignitatis humanae personae eiusdemque unicitatis, pariter ac observantiae conscientiae progredientis, adeptio sane habetur solida hodierni cultus. Haec perceptio, in se vera, multiplices explanationes plus minusve aequatas induxit, at nonnullae earum declinant a veritate hominis, qua Dei creaturae et imaginis, ipsaeque ideo sunt emendandae vel castigandae fidei sub lumine (*Gaudium et Spes*, 11).

32. A quibusdam autem scholis recentioribus *tam extollitur libertas ut habeatur aliquid absolutum, veluti bonorum fons et origo*. Semitas has ingrediuntur doctrinae quae transcendentiae amittunt significationem vel quae Deum prorsus denegant.

Conscientiis singulorum facultates tribuuntur quae proprie pertinent ad ultimam iudicii moralis sententiam, quod definit et certo statuit de bono et malo. Pro principio quod postulat suam quemque sequi debere conscientiam, illud iniuria ponitur principium quod declarat iudicium morale esse verum ex eo quod ex propria conscientia oritur. Sed hoc modo veritatis necessarium postulatum resolvitur pro iudicio sinceritatis, authenticitatis, “concordantiae cum se”, adeo ut perventum sit ad moralis iudicii opinationem positam omnino in privata cogitatione.

Ut statim planeque patet, huic processui non est alienus processus crisis de veritate. Amissa

notione veritatis universalis de bono quod ab humana mente percipi potest, necessario de coscientia opinio est immutata, quae iam suo in primigenio statu non consideratur, tamquam scilicet actus intellectus personae cuius est accommodare universalem cognitionem boni ad peculiarem quandam condicionem et iudicium facere de recto more eligendo hic et nunc; eo tenditur ut personae conscientiae privilegium tribuatur statuendi autonoma ratione normam boni malique, indeque agendi. Mens haec arte coniungitur cum individualistica ethica, secundum quam quisque cum sua confertur veritate, quae ab aliorum veritate differt. Extrema si attingit, individualismus ad ipsam notitiam naturae humanae negandam perducit.

Hae discrepantes notiones sunt principia illarum opinionum quae dissidentiam asseverant inter legem moralem et conscientiam, inter naturam et libertatem.

33. *Simul cum* libertatis amplificatione, et inopinabiliter illi *refragrans, recens cultura hanc eandem libertatem penitus in dubium vocat*. Nonnullae tamen doctrinae, quae “scientiarum humanarum” uno nomine appellantur, merito animi intentionem in sociales et psychologicas coactiones induxerunt, quae magnum habent pondus in libertate exercenda. Harum coactionum cognitio et animi intentio in eas conversa, sunt adeptiones magni momenti, quae variis in provinciis existentiae sunt

adhibitae, veluti ex. gr. in educandi arte et in iustitia administranda. At nonnulli, modos rationesque praetergredientes quae ex animadversionibus his deduci possunt, in dubium devocarunt vel denegaverunt ipsam libertatis humanae veritatem.

Memorandae sunt quoque aliquae illicitae interpretationes scientificae inquisitionis ratione anthropologica deductae. Ex magna namque morum varietate, consuetudinum et institutionum, quae sunt inter homines, argumentando, pervenitur, si non ad hominum valores universales negandos, ad relativisticam saltem explanandam notionem rei moralis.

34. Magister, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam?". *Moralis interrogatio*, cui Christus respondet, *quaestionem de libertate praetermittere non potest, immo eam in eius centro collocat*, quandoquidem sine libertate non datur moralitas: "nonnisi libere homo ad bonum se convertere potest" (Cfr. *Gaudium et Spes*, 17). *Sed qua libertate?* Concilium coram nostri temporis hominibus, qui "summi existimant" libertatem quam "studiose requirunt", quamque vero "saepe perverse colunt veluti si omnia liceant, dummodo placeant, malo quoque admisso", *"veram" libertatem* proponit. "Vera libertas est signum in homine *clarissimum divinae imaginis*". Voluit enim Deus hominem "relinquere in manu consilii sui" (Cfr. *Sir.* 15, 14), ita ut Creatorem suum sponte quaerat et libere ad

plenam et beatam perfectionem ei inhaerendo perveniat" (Cfr. *Gaudium et Spes*, 17). Si ius datur ut quisque observetur in itinere ad inquirendam veritatem, est tamen antea unicuique perquirendae veritatis gravis moralis obligatio eidemque cognitae adhaerescendi (Cfr. *Dignitatis Humanae*, 2; cfr. quoque GREGORII XVI *Mirari vos Arbitramur*, die 15 aug. 1832: *Acta Gregorri Papae XVI*, I, 169-174; PII IX *Quanto Cura*, die 8 dec. 1864: *Pii IX P.M. Acta*, I, 3, 687-700; LEONIS XIII *Libertatis Praestantissimum*, die 20 iun. 1888: *Leonis XIII P.M. Acta*, VIII, Romae 1889, 212-246). Hac mente Cardinalis I. H. Newmann, eximius iurium conscientiae vindicator, asseverare consuevit magna cum vi: "Iura habet conscientia quia officia habet" (I.H. Card. NEWMANN *Epistula excellentissimo duci Norfolkiensi missa: Certain Difficulties Felt by Anglicans in Catholic Teaching* (Uniform Edition: Longman, Green and Company, London, 1868-1881), vol. 2, p. 250).

Nonnullae theologiae moralis opinationes nostrae aetatis, vim addentibus opinationibus subiectivisticis individualisticis quas memoravimus, nova ratione interpretantur libertatis necessitudinem cum lege morali, cum hominum natura cumque conscientia, ipsaeque novatoria iudicia de actionum morali aestimatione inducunt: quae sententiae, quamvis variae, eo

vergunt, ut hebetent vel immo negent *libertatis dependentiam a veritate*.

Si harum opinionum criticam discretionem inducere volumus, quae videlicet agnoscat quid in iis sit legitimum, quid utile et validum et etiam ubi sint ambiguitas, pericula atque errores, easdem diiudicare debemus sub lumine libertatis ex veritate absolute pendentis: cuius subiectionis pondus clare et cum auctoritate Christi verba significant: “Et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos” (*Io.* 8, 32).

*I. Libertas et lex*

**“De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas”** (*Gen.* 2, 17)

35. In libro Genesis legimus: “Praecepitque Dominus Deus homini dicens: «Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris»” (*Ibid.* 2, 16-17).

Hac imagine, docet Revelatio *decernendi potestatem de bono maloque pertinere non ad hominem sed ad unum Deum*. Liber est certe homo, quia ipse Dei mandata comprehendere et accipere potest. Ei quidem ampla est libertas, quia “ex omni ligno paradisi” comedere potest; haec tamen libertas non est infinita, ipsa prae “ligno scientiae boni et mali” consistere debet, cum ei moralis norma quam Deus homini dat suscipienda sit: reapse hanc cum accipit homo, suam ipsius libertatem

vere perficit. Deus, qui unus est bonus, perfecte agnoscit quod est bonum homini, atque suo ipsius motus amore hoc ei proponit in mandatis.

Quapropter Dei lex non deprimit neque tollit hominis libertatem, immo eandem tutatur et promovet. Omnino aliter tamen quaedam hodiernae culturales propensiones fundamentum ponunt haud paucarum ethicarum doctrinarum quae cardinem habent cogitationis suae *coniectam dissentionem inter libertatem et legem*. Tales sunt doctrinae quae singulis hominibus vel socialibus coetibus facultatem tribuunt de bono et de malo decernendi: humana libertas "bona efficere" posset et primas maxime sustineret quoad veritatem, veluti si veritas ipsa haberetur a libertate effecta. Haec igitur talem *autonomiam moralem* sibi vindicaret, quae re sui ipsius *absolutam dominationem* designaret.

36. Recens autonomiae postulatio non praetermisit *afficere etiam theologiam moralem catholicam*. Si quidem ipsa numquam libertatem humanam ponere contra legem divinam voluit, nec umquam in controversiam vocavit fundamendum religiosum ultimum normarum moralium, tamen ad recognoscendam lacessita est rationis fideique partem in detegendis moralibus normis, quae ad mores "huius mundi" spectant, scilicet ad semet ipsum, ad alios et ad rerum naturam.

Est autem fatendum *postulata quaedam certa* inveniri hoc in conatu recognitionis, quae quidem maxima ex parte ad probatiorem translaticiam consuetudinem catholicae doctrinae pertinent. Concilio Vaticano II impellente (Cfr. *Gaudium et Spes*, 40 et 43), data est opera dialogo cum hodierna cultura instituendo, in luce ponendo rationalem indolem – idcirco omnibus comprehensibilem et communicabilem – moralium normarum, quas moralis naturalisque lex complectitur (Cfr. S. THOMAE *Summa Theologiae*, I-II, q. 71, q. 6; vide quoque ad 5). Confirmata est porro interior proprietas ethicorum postulatorum quae ex ea oriuntur quaeque voluntati non imponuntur velut ex obligatione, nisi prius humana ratio, et reapse personalis conscientia, easdem agnovit.

Sed obliti humanam rationem ex divina Sapientia pendere atque in praesenti naturae lapsae statu divinae Revelationis necessitatem eiusdemque realitatem exsistere ad veritates morales cognoscendas naturalem quoque ordinem contingentes (Cfr. PII XII *Humani Generis*, die 12 aug. 1950: *AAS* 42 (1959) 561-562), quidam eo pervenerunt ut affirmarent *rationem plene sui iuris esse* quoad morales normas, quae rectam ordinationem vitae respiciunt in hoc mundo: quae normae in morali tantummodo "humana" versarentur, et legem significarent quam homo ipse sibi libere imponeret cuiusque

origo ex ratione humana solummodo proficisceretur. Huius ideo legis minime Deus haberi posset Auctor, nisi eo quod humana ratio suam exerceret liberam legis effectionem propter Dei primigenium plenumque praeceptum homini datum. Hae opinationes, contra Sacram Scripturam et continuatam Ecclesiae doctrinam, illuc perduxerunt ut negaretur moralem legem naturalem Deum auctorem habere, atque hominem sua utentem ratione participem esse legis aeternae, quam ipse non condit.

37. Cum autem intra christianos fines moralem vitam continere vellent, nonnulli rei moralis theologi distinctionem induxerunt, contra doctrinam catholicam (Cfr. CONC. OECUM. TRIDENT., Sess. VI, Decr. de iustificatione *Cum hoc tempore*, cann. 19-21: DENZ-SCHÖNM., 1569-1571), inter *ordinem ethicum*, ex hominibus genitum et ad hunc mundum solummodo pertinens, atque *salutis ordinem*, secundum quem nonnullae tantummodo intentiones et interiores aliquae habitudines quoad Deum et proximum momentum haberent. Congruenter usque eo perventum est ut negaretur exsistentia in divina Revelatione sensus moralis, proprii et finiti, pro omnibus perennis et constantis: Dei verbum cohortationem tantum afferret et vagam parenesim, quam deinde tantum ratio libera iussis vere "obiectivis" compleret, ad historica adiuncta congruis. Autonomia sic definita efficit ut propria

etiam negetur doctrinalis auctoritas Ecclesiae eiusque Magisterii quoad certas morales normas spectantes ad “bonum humanum” quod dicunt; quae non pertinerent ad verum Revelationis depositum nec ullum haberent pondus ad spiritalem salutem.

Nemo est quin non videat hanc autonomiae rationis humanae explicationem secum ferre assertiones doctrinae catholicae repugnantes.

Hoc in contextu omnino necesse est ut, sub Dei verbi vivaeque Ecclesiae traditionis lumine, praecipuae explicentur notiones de libertate humana deque morali lege, necnon earum altae et intimae necessitudines. Hoc tantum modo legitimis postulationibus rationis humanae responderi poterit, nonnullarum opinationum hodiernae theologiae moralis admissis aequis principiis, Ecclesiae patrimonio morali detrimento non allato per erroneas autonomiae rationes.

**Deus hominem relinquere voluit “in manu consilii sui”** (*Sir.* 15, 14)

38. Ecclesiastici referens verba, Concilium Vaticanum II sic explicat “veram libertatem”, quae “eximium est divinae imaginis in homine signum”: Voluit enim Deus hominem “relinquere in manu consilii sui”, ita ut Creatorem suum sponte quaerat et libere ad plenam et beatam perfectionem ei inhaerendo perveniat” (*Gaudium et Spes*, 17). Verba haec miram altitudinem

demonstrant *consortionis divinae dominationis*, ad quam homo est vocatus: eadem hominis dominatum quodammodo ipsum hominem attingere ostendunt. Species haec instanter in theologicis de libertate humana cogitationibus confimatur, quae veluti genus regalitatis explicatur. Scribit ex. gr. sanctus Gregorius Nyssenus: "Et animus quidem regiam excelsamque dignitatem suam... in eo declarat: quod dominum neminem cognoscit, et suo ex arbitrio agit omnia; meroque et summo imperio, ut ipsi libet, semet gubernat. Nam cui tandem hoc convenit, si non regi?... ita et hominis natura, sic condita ut reliquorum creatorum domina esset, propter eam qua regem universitatis huius refert similitudinem, imago quasi viva erecta est, cum qua et dignitas et nomen Archetypi communicaretur" (S. GREGORII NYSSENI *De hominis opificio*, c. 4: PG 44, 135-136).

*Mundum moderari* est iam hominis magnum munus idemque conscientiae officii plenum, quod eius libertatem involvit Creatori obtemperantem: "Replete terram et subicite eam" (*Gen.* 1, 28). Hac ratione ad singulos homines aeque atque ad humanam communitatem congrua autonomia pertinet, in quam peculiarem animadversionem Constitutio conciliaris Gaudium et spes intendit. Rerum terrestrium est autonomia, quae vult "res creatas et ipsas societates propriis legibus valoribusque gaudere, ab homine gradatim

dignoscendis, adhibendis et ordinandis" (*Gaudium et Spes*, 36).

39. Sed non modo terrarum orbis, verum et *homo suae ipsius curae et responsalitati concreditus est*. Deus eum reliquit "in manu consilii sui" (*Sir.* 15, 14), ut Creatorem suum quaereret et libere ad perfectionem perveniret. Pervenire sibi vult per se *condere in se eam perfectionem*. Nam, quemadmodum mundum regens homo ad suum intellectum voluntatemque eundem conformat, sic actus moraliter bonos agens homo confirmat, explicat et stabilit in semet ipso Dei similitudinem.

Concilium tamen monet ut a falsa opinatione rerum terrestrium de autonomia caveatur, quae fatetur "res creatas a Deo non pendere, eisque hominem sic uti posse ut easdem ad Creatorem non referat" (*Gaudium et Spes*, 36).

Quod vero ad hominem spectat, haec autonomiae sententia noxios quidem effectus gignit, cum ad Dei negationem extremo perveniat: "Creatura enim sine Creatore evanescit...Immo, per oblivionem Dei ipsa creatura obscuratur" (*Ibid.*).

40. Hinc Concilii doctrina *humanae rationis actionem* confirmat, in invenienda et usurpanda lege morali: moralis vita creativitatem expostulat sollertiamque personae propriam, quae est fons causaque eius actuum deliberatorum; illinc ratio ex lege aeterna suam veritatem auctoritatemque depromit, quae nihil est aliud nisi divina sapientia

(Cfr. S. THOMAE *Summa Theologiae*, I-II, q. 93, a. 3, ad 2, quod IOANNES XXIII rettulit in *Pacem in Terris*, die 11 apr. 1963: *AAS* 55 (1963) 271). Vitae morali igitur subest tamquam fundamentum principium "iustae autonomiae" hominis (*Gaudium et Spes*, 41), qui subiectum est personale suarum actionum. *Moralis lex a Deo oritur atque in Eo semper suum fontem invenit*: naturalem propter rationem, quae ex divina sapientia originem trahit, est eadem simul *lex hominis propria*. Etenim lex naturalis, ut dictum est, "nihil aliud est nisi lumen intellectus insitum nobis a Deo, per quod cognoscimus quid agendum et quid vitandum. Hoc lumen et hanc legem dedit Deus homini in creatione" (S. THOMAE *In duo praecepta caritatis et in decem legis praecepta*. Prologus: *Opuscula theologica*, II, n. 1129, Ed. Taurinenses. (1954), 245). Congrua rationis practicae autonomia ostendit in se ipso hominem propriam habere legem, a Creatore acceptam. Attamen *rationis autonomia non significat moralia bona normasque creari* ab ipsa ratione (Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio ad nonnullos Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis data visitationis ad limina occasione*, 6, die 15 oct. 1988: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XI, 3 (1988) 1228). Si autonomia haec negaret sociam esse rationem practicam sapientiae Creatoris et Legislatoris divini, vel si libertatem quandam creatricem suggereret normarum moralium pro historicis

adiunctis diversisve societatibus culturisque, haec asserta autonomia Ecclesiae doctrinae contradiceret de hominis veritate (*Gaudium et Spes*, 47). Mors esset verae libertatis: “De ligno autem scientiae boni et mali ne commedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris” (*Gen.* 2, 17).

41. Hominis *vera autononia moralis* minime significat recusationem, sed acceptionem legis moralis, Dei scilicet mandati: “praecepitque Dominus Deus homini...” (*Ibid.* 2, 16). *Hominis libertas atque Dei lex inter se concinunt et paene miscentur*, quatenus homo libere Deo paret Ipseque Deus homini gratuitam benevolentiam porrigit. Oboedientia igitur erga Deum non est *heteronomia*, ut nonnulli argumentantur, veluti si moralis vita absolutae omnipotentiae subiaceret, quae extra hominem esset et contra affirmationem eius libertatis. Si reapse heteronomia moralis significaret homini negari facultatem deliberandi de se vel eidem imponi normas ipsius bono extraneas, eadem contradiceret revelationi Foederis et Incarnationis redemptricis. Heteronomia eiusmodi esset alienatio quaedam, prorsus divinae sapientiae contraria ac pariter humanae personae.

Nonnulli, merito quidem, de theonomia loquuntur vel *theonomia participata*, quia libera hominis oboedientia Dei legi revera continet rationis voluntatisque humanae participationem

Dei sapientiae et providentiae. Prohibendo quominus homo comedat "de ligno scientiae boni et mali", asseverat Deus hominem initio hac "cognitione" veluti re propria carere, sed eam participare per lumen rationis naturalis divinaeque revelationis, quae ei postulata atque sapientiae aeternae appellationes ostendunt. Lex igitur habenda est significatio divinae sapientiae: cum eidem se libertas subdit, creationis veritati se subdit. Hac de causa in libertate personae humanae oportet imaginem ac propinquitatem Dei agnoscamus "qui est in omnibus" (Cfr. *Eph.* 4, 6); eodem modo confitenda est Dei universi maiestas atque veneranda est sanctitas legis Dei, qui infinite res transcendit. *Deus semper maior* (Cfr. S. AUGUSTINI *Enarratio in Psalmum LXII*, 16: *CCL* 39, 804).

**Beatus vir ... in lege domini voluntas eius** (Cfr. *Ps. 1*, 1-2)

42. Hominis libertas, cum sit efficta secundum Dei voluntatem, non modo non negatur sua legi divinae oboedientia, sed tantum per hanc obeodientiam in veritate manet et dignitati hominis respondet, sicut palam scribit Concilium: "Dignitas igitur hominis requirit ut secundum consciam et liberam electionem agat, personaliter scilicet ab intra motus et ductus, et non sub caeco impulsu interno vel sub mera externa coactione. Talem vero dignitatem obtinet homo cum, sese ab omni passionum captivitate

liberans, finem suum in boni libera electione persequitur et apta subsidia efficaciter ac sollerti industria sibi procurat" (*Gaudium et Spes*, 17).

Ad Deum contendens, ad Eum qui "unus est bonus", homo libere bonum facere et malum vitare debet. Hanc ob causam necesse est ut homo *bonum a malo discernere possit*. Hoc ante omnia fit per rationis naturalis lumen, quod est repercussio splendoris vultus Dei in homine. Hoc quidem sensu sanctus Thomas Psalmi IV illustrans versiculum quendam scribit: "Cum Psalmista dixisset: Sacrificate sacrificium iustitiae (*Ps.* 4, 6), quasi quibusdam quaerentibus quae sint iustitiae opera, subiungit: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Cui quaestioni respondens, dicit: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*; quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus quid sit bonum et quid malum – quod pertinet ad naturalem legem – nihil aliud sit quam impressio divini luminis in nobis" (S. THOMAE *Summa Theologiae*, I-II, q. 91, a. 2). Hinc deducitur etiam quam ob causam haec lex vocetur lex *naturalis*: ita vocatur non ratione habita entium irrationalium, sed quia ratio promulgans propria est humanae naturae (Cfr. *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 1955).

43. Concilium Vaticanum II commemorat "supremam humanae vitae normam esse ipsam legem divinam, aeternam, obiectivam atque universalem, qua Deus consilio sapientiae et

dilectionis suae mundum universum viasque communitatis humanae ordinat, dirigit, gubernat: huius suae legis Deus hominem participem reddit, ita ut homo, providentia divina suaviter disponente, veritatem incommutabilem magis magisque agnoscere possit" (*Dignitatis Humane*, 3).

Concilium ad "classicam" doctrinam de *lege aeterna Dei* remittit. Sanctus Augustinus eam definit: "ratio seu Dei voluntas quae iubet servare naturae ordinem et vetat turbare eum" (S. AUGUSTINI *Contra Faustum*, lib. 22, cap. 27: *PL* 42, 418); sanctus Thomas eam aequat cum "divinae sapientiae ratione, etiam ex eo quod... ad debitum finem cuncta per eam moveantur" (S. THOMAE *Summa Theologiae*, I-II, q. 93, a. 1). Sed Dei sapientia est providentia, amor, qui curam adhibet. Deus ipse igitur omnem creationem reapse vereque curat et amat (Cfr. *Sap.* 7, 22; 8, 11). Sed Deus hominibus prospicit aliter ac ceteris creaturis: non "extrinsecus" per rerum naturae leges, sed "intrinsecus", per rationem quae, naturali lumine Dei legem aeternam cognoscens, ipsi homini rectum iter libere agendi demonstrare valet (Cfr. S. THOMAE *Summa Theologiae*, I-II, q. 90, a. 4, ad 1). Hoc quidem modo Deus hominem vocat ad providentiam suam participandam, cum per ipsum hominem, per ipsius scilicet rationem et responsalem curam, mundum regere velit: non modo mundum rerum naturae, sed etiam humanarum personarum. Hac in regione ponitur

*naturalis lex* veluti humana significatio aeternae legis Dei: "Inter cetera autem – scribit sanctus Thomas – rationalis creatura excellentiore quodam modo divinae providentiae subiacet, in quantum et ipsa fit providentiae particeps, sibi ipsi et aliis providens. Unde et in ipsa participatur ratio aeterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum et finem; et talis participatio legis aeternae in rationali creatura lex naturalis dicitur" (*Ibid.* q. 91, a. 2).

44. Ecclesia saepe sancti Thomae doctrinam de lege naturali repetiit eandemque in sua morali institutione adhibuit. Sic Decessor Noster rec. mem. Leo XIII *collustravit essentialem subiectionem rationis et legis humanae Dei Sapientiae Eiusque legi*. Postquam dixit "Legem naturalem scriptam esse et insculptam in omnium et in singulorum hominum animis, quia ipsa est humana ratio recte facere iubens et peccare vetans", Leo XIII ad "altiorem rationem" divini Legislatoris remittit: "Ista vero humanae rationis praesriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subiectam esse oporteat". Vis etenim legis innititur sua in potestate statuendi officia tribuendique iura, poenis aliqua imperata sanciendi: "Quae quidem omnia in homine liquet esse non posse, si normam actionibus suis ipse quasi summus legislator sibi daret". Sic tandem concludit: "Ergo consequitur,

ut naturae lex sit *ipsa lex aeterna*, insita in iis qui ratione utuntur, eos inclinans *ad debitum actum et finem*: ea est ipsa aeterna ratio Creatoris et gubernatoris universi mundi" (LEONIS XIII *Libertas Praestantissimum*, die 20 iun. 1888: *Leonis XIII P.M. Acta*, VIII, Romae 1889, 219).

Potest homo cognoscere bonum et malum illo boni malique discrimine quod ipse operatur ratione sua, nominatim *ratione sua divina Revelatione fideque collustrata*, vi legis quam Deus populo electo dedit, initio ducto a mandatis in Sina. Israel *ad Dei legem suscipiendam et colendam* est vocatus tamquam *ad electionis et divini Foederis peculiare donum signumque* ac pignus pariter benedictionis Dei. Sic Moyses filios Israel alloquens ab iis quaesivit: "Quae est enim alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris? Et quae est alia gens sic inclita, ut habeat praecepta iustaque iudicia, sicut est universa lex haec, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?" (*Deut.* 4, 7-8). In Psalmis inveniri possunt laudis, animi grati et venerationis sensus, quos populus electus concipere compellitur erga Dei legem, una cum adhortatione ut eam cognoscat, meditetur et in vitam transferat: "Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit et in conventu derisorum non sedit, sed in lege Domini voluntas eius, et in lege eius meditatur die ac nocte (*Ps.* 1, 1-2); "Lex Domini immaculata,

reficiens animum, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda, praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos (*Ps 19 (18)*, 8-9).

45. Totum Revelationis depositum grato animo suscipit Ecclesia amanterque custodit, religiosa mente observat, munus suum Dei legis authentice interpretandae sub Evangelii lumine complens. Ecclesia porro velut donum recipit *novam legem*, quae est "impletio" legis Dei in Christo Iesu inque eius Spiritu: est quidem lex "interior" (Cfr. *Ier.* 31, 31-33), "scripta non atramento sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus (*2 Cor.* 3, 3); lex perfectionis et libertatis (Cfr. *ibid.* 3, 17); est "lex Spiritus vitae in Christo Iesu" (*Rom.* 8, 2). De hac lege scribit sanctus Thomas: "Quae quidem lex potest dici uno modo Spiritus Sanctus...; sed Spiritus Sanctus mentem inhabitans non solum docet quid oporteat fieri intellectum illuminando de agendis, sed etiam affectum inclinat ad recte agendum... Alio modo lex spiritus potest dici proprius effectus Spiritus Sancti, scilicet fides per dilectionem operans (*Gal.* 5, 6): quae quidem et docet interius de agendis... et inclinat affectum ad agendum" (S. THOMAE *In Epistulam ad Romanos*, c. VIII, lect. 1).

Etiamsi in theologiae moralis vestigationibus lex quam Deus dedit vel revelavit a naturali lege distingui solet, et in oeconomia salutis "antiqua"

lex a lege “nova”, non est tamen obliviscendum has aliasque utiles distinctiones ad legem usque referri, cuius lator est Idem unusque Deus, eamque semper hominibus destinari. Rationes multiplices, quibus Deus in historia hominem mundumque curat, non modo inter se non repugnant, sed contra mutuo sustentantur et penetrantur. Omnes autem oriuntur et concinnantur ex sapienti et benevolo proposito, quo Deus homines praedestinat “conformes fieri imaginis Filii eius” (*Rom.* 8, 29). In hoc proposito hominis libertas minime laeditur, sed contra solummodo proposito hoc accepto libertas confirmatur.

**“Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis”** (*Rom.* 2, 15)

46. Coniecta repugnantia inter libertatem et legem singulari quadam vi hodie iterum proponitur quoad naturalem legem et nominatim quoad naturam. Reapse *dissertationes de natura et libertate* semper historiam moralium inquisitionum sunt comitatae, atque omnino flagraverunt tempore artium Renascentium et Reformationis, ut ex Concilii Tridentini doctrina erui potest (Cfr. CONC. OECUM. TRIDENT. Sess. VI, Decr. de iustificatione *Cum hoc tempore*, cap. 1: DENZ-SCHÖNM., 1521).

Simili contentione nostra quoque aetas notata est, etsi diverso sensu: in ipsas res observandas inclinatio, obiectivationis scientificae rationes

viaeque, technicus progressus, liberalismi quaedam genera, effecerunt ut duae hae res inter se contenderent, tanquam si dialectica – si non prorsus decertatio – inter libertatem et naturam peculiare esset quiddam structurale humanae historiae. Aliis aetatibus, “natura” subigere omnino visa est hominem suis dynamismis et etiam suis determinismis. Hodie quoque spatii temporisque condiciones orbis sensibilis, physicae chemicaeque constantiae, corporis incitationes, animi impulsiones, societatis coactiones videntur pluribus sola decretoria rerum humanarum elementa. Hac quidem in re, morales quoque eventus, praeter suam proprietatem, tractantur crebro veluti si essent res ad rationariam artem probabiles, tamquam spectabiles consuetudines vel interpretabiles tantum per psychosocialium machinationum categorias. Itaque *nonnulli ethicae disciplinae inquisitores*, qui propter artis suae exercitium actus atque humana facta scrutari coguntur, sollicitari possunt metiri suam eruditionem, si non sua praescripta, secundum statisticam inspectionem quoad humanos habitus definitos et morales opinationes plurium hominum.

*Alii rei moralis periti* contra, solliciti de institutione ad valores, libertatis dignitate moventur, sed saepe eam discordem existimant vel contrariam naturae materiali et biologicae, quam gradatim superare deberet. Hac de re

diversae opinationes conveniunt ad obliviscendam condicionem naturae creatae adque eiusdem integritatem infitiandam. *Ad nonnullorum mentem* natura humanae actionis materies redditur ipsiusque potestatis: ipsa est omnino immutanda, immo libertate praetergredienda, cum eius quasi limes sit et negatio. *Ad aliorum* autem rationem in ipso immodico potestatis hominis progressu vel eiusdem libertatis locantur bona oeconomica, socialia, necnon culturalia et moralia: significaret dicitur natura quidquid in homine et in mundo extra libertatem situm est. Talis natura, hoc quidem sensu, humanum corpus, eius complexionem et vires primum complecteretur: his physicis elementis opponerentur quae "conficiuntur", id est "cultura", quatenus libertatis opus et effectus. Humana natura sic accepta, ad biologicam vel socialem materiem redigi tractarique posset, quae semper praesto esset.

Hoc significat ad extremum libertatem per se ipsam definire eamque reddere postulatum quod se ipsum suosque valores crearet. Sic ad extremum homo ne naturam quidem haberet et sibi ipsi esset per se ipsum exsistentiae ratio. Nihil aliud esset homo quam sui ipsius libertas!

47. Hoc in contextu *physicismi et naturalismi* contradictiones ortae sunt adversus *legis naturalis translaticiam notionem*: haec enim exhiberet

tamquam leges morales quae essent tantummodo leges biologicae. Sic, parum subtiliter, nonnullis humanis moribus permanens immutabilisque ratio tributa esset, qua posita, leges morales conditae essent in universum validae. Ad nonnullorum quoque theologorum mentes, eiusmodi “argumentatio biologica vel naturalistica” etiam in aliquibus Ecclesiae Magisterii documentis inveniretur, in iis praesertim quae ad sexualem matrimonialemque ethicam pertinent. Secundum naturalisticam sexualis actus notionem veluti moraliter improbata essent anticonceptivorum usus, sterilizatio directe procurata, autoërotismus, ante coniugium concubitus, homosexuales necessitudines, necnon seminationes arte quaesitae. Ad horum theologorum mentem, si hi actus haberentur mali, non satis aeque existimaretur condicio rationalis et libera hominis, neque omnium moralium normarum culturalis coërcitio. Iidem asseverant, quandoquidem homo ratione pollet, non modo posse, *sed libere* de suarum actionum *sensu decernere debere*. Hoc “decernere de sensu”, ut patet, multiplices supputare debet hominis limites, qui corporea historiaque condicione fruitur. Rationes porro vivendi inspicere debet earumque significationes, quas hae in certa quadam cultura usurpant. Servare debet praesertim praecipuum mandatum, id est amorem Dei et proximi. At Deus – asserunt

deinde – hominem condidit velut ens rationale eumque “in manu consilii sui reliquit”, et ab eo propriam rationalemque eius vitae institutionem exquirit. Proximi dilectio observantiam praesertim vel unice significaret erga suam ipsius facultatem libere decernendi de semet ipso. Consuetudinum rationes propriae hominum necnon “naturales proclivitates” quae dicuntur, ad summum generalem designarent propensionem recte agendi – aiunt – sed inducere non possent moralem aestimationem singulorum actuum humanorum, qui quoad condiciones sunt tam implicati.

48. Prae hac opinatione attente consideranda est recta necessitudo quae inter libertatem et humanam naturam intercedit, nominatim vero est perspiciendus *locus quem in legis naturalis quaestionibus humanum corpus obtinet*. Libertas quae absoluta esse vult eo progreditur ut humanum corpus existimet veluti elementum brutum, significatione carens et bonis moralibus, quoadusque suo proposito idem adfectaverit libertas. Hinc humana natura et corpus tamquam *praesupposita vel initia* videntur, materialiter necessaria ad libertatis electionem, sed *extrinseca* personae, subiecto humanoque actui. Eorum dynamismi non possent indices haberi ad moralem electionem, quippe cum earum proclivitatum intentiones *physica* “bona” essent tantum, quae a quibusdam “praemoralia” appellantur. Si quis ad eos se revocet, ut rationalia

de ordine morali indicia in illis reperiat, de physicismo vel biologismo arguendus sit. Hoc in contextu contentio inter libertatem et naturam deminutiva ratione inspectam fit divisio in ipso homine.

Haec moralis disciplina cum veritate de homine eiusque libertate non congruit. Ea quidem *Ecclesiae doctrinae de hominis unitate* repugnat, cuius rationalis anima est *per se et essentialiter* forma corporis (Cfr. CONC. OECUM. VIENNEN. *Const. Fidei Catholicae*: DENZ.-SCHÖNM., 920; CONC. OECUM. LATERANEN. V Bulla *Apostolici Regiminis*: DENZ.-SCHÖNM., 1440). Spiritalis et immortalis anima principium est unitatis hominis, id scilicet est per quod veluti unum exsistit – *corpore et anima unus* (*Gaudium et Spes*, 14) – qua persona. Definitiones hae non modo ostendunt etiam corpus, cui resurrectio promittitur, gloriae fore particeps; verum et vincula rationis liberaeque voluntatis cum corporeis sensibilibusque facultatibus commemorant. *Persona, corpore incluso, sibi ipsi penitus concreditur, atque in animae corporisque unitate ipsa suorum actuum moralium fit subiectum.* Persona, per rationis lumen et virtutis fulcimentum, signa praenuntia in suo corpore detegit, significationem pariter atque donationis sui ipsius promissionem, ad similitudinem sapientis propositi Creatoris. Dignitate personae humanae prae oculis habita –

per se ipsa confirmanda – ratio bonum morale nonnullorum beneficiorum peculiare percipit, in quod persona naturaliter tendit. Quandoquidem persona humana redigi non potest ad libertatem quandam quae de se ipsa disponat, sed spiritalem corporeamque structuram certam sibi vindicat, primigenia necessitas moralis amandi observandique personam humanam, quae est semper finis non merum instrumentum, intrinsece prae se fert nonnullorum bonorum praecipuorum obsequium, sine quo in relativismum et in arbitrium procumbitur.

49. *Doctrina quae moralem actum a corporeis condicionibus disiungit Sacrae Scripturae praeceptis repugnat et Traditioni*: eiusmodi doctrina, immutata specie, veteres errores revocat, quos Ecclesia semper respuit, quia personam humanam redigunt ad quandam libertatem "spiritalem" mere formalem. Haec redactio moralem corporis significationem neglegit et agendi mores qui ad idem referuntur (Cfr. *1 Cor.* 6, 19). Secundum Pauli apostoli mentem ad Dei regnum non admittuntur "fornicarii neque idolis servientes neque adulteri neque molles neque masculorum concubitores neque fures neque avari, non ebriosi, non maledici non rapaces" (Cfr. *ibid.* 6, 9-10). Damnatio haec – quam Concilium Tridentinum confirmavit (Cfr. CONC. OECUM. TRIDENT. Sess. VI, Decr. de iustificatione *Cum hoc tempore*, cap. 15: DENZ.-SCHÖNM., 1544.

Exhortatio Apostolica post-synodalis «Reconciliatio et Paenitentia» de Ecclesiae missione aetate nostra alios locos Veteris et Novi Testamenti affert, qui tamquam mortalia peccata denotant quosdam mores a corpore pendentes: cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Reconciliatio et Paenitentia*, 17) – veluti "peccata mortalia" nefandosve usus" enumerat quasdam consuetudines, quae, ex voluntate susceptae, ab aeterna hereditate fideles arcent. Nam *corpus animaque distrahi non possunt*: in persona enim, in voluntario scilicet agente et in voluntario actu, *stant una aut pereunt*.

50. Nunc intellegi potest verus sensus legis naturalis, quae pertinet ad propriam primigeniamque hominis naturam, ad naturam scilicet "personae humanae" (*Gaudium et Spes*, 51), quae est *ipsa persona in animae corporisque unitate*, in unitate videlicet suarum proclivitatum ordinis simul spiritalis simul biologici et aliarum peculiarium proprietatum ad finem obtinendum necessariarum. "Lex moralis naturalis exprimit atque praescribit fines, iura atque officia, quae in corporali ac spirituali personae humanae natura innituntur. Ea lex igitur haberi nequit tamquam norma unice biologica, sed definiri debet tamquam ordo rationis, iuxta quem homo a Creatore vocatur ad vitam suam suasque actiones moderandas atque ordinandas, peculiari modo ad utendum et fruendum corpore suo" (CONGR.

PRO DOCTRINA FIDEI *Donum Vitae*, Introd. 3, die 22 febr. 1987: AAS 80 (1988) 74; cfr. PAULI VI *Humanae Vitae*, 10). Exempli gratia, origo et fundamentum officii humanae vitae prorsus observandae in germana dignitate propriae personae sunt reperienda, non vero simpliciter in naturali appetitione propriae vitae physicae servandae. Sic humana vita, quamvis hominis sit bonum praecipuum, moralem obtinet significationem cum ad personae bonum refertur, quod semper est per se ipsum observandum: si numquam licet hominem insontem interficere, licitum tamen est, immo laudabile et etiam debitum, propriam vitam impendere (Cfr. *Io.* 15, 13) pro proximo vel pro veritatis testimonio. Re vera tantummodo si persona spectatur veluti "totum in unum coactum", "anima nempe quae in corpore manifestatur, et corpus immortali spiritu informatum" (IOANNIS PAULI PP. II *Familiaris Consortio*, 11), corporis significatio proprie humana intellegi potest. Naturales enim motus morales constituuntur solummodo quatenus ad personam humanam referuntur et ad ipsius veram effectionem, quae quidem in humana natura dumtaxat effici potest. Corporalitatis respuens adulterationes quae eius humanam significationem demutant, Ecclesia homini inservit eidemque veri amoris viam demonstrat, in qua solummodo is verum Deum invenire potest.

Naturae lex sic intellecta locum non dat divisioni inter libertatem et naturam: etenim illae apte iunguntur inter se penitusque sociantur.

**“Ab initio autem non sic fuit”** (*Matth.* 19, 8)

51. Inter libertatem et naturam opinata dimicatio in explanationem peculiarium quarundem partium legis naturalis redundat, in eius potissimum *universalitatem et immutabilitatem*.

“Ubinam sunt istae regulae scriptae – secum quaerebat sanctus Augustinus –... nisi in libro lucis illius quae veritas dicitur, unde omnis lex iusta describitur et in cor hominis qui operatur iustitiam non migrando sed tamquam imprimendo transfertur, sicut imago ex anulo in ceram transit et anulum non relinquit?” (S. AUGUSTINI *De Trinitate*, XIV, 15, 21: *CCL* 50/A, 451) Huius “veritatis” *vi naturalis lex universalitatem continet.*

Ipsa, quatenus inscripta in personae natura rationali, omni homini ratione pollenti et in historia viventi imponitur. Ut in suo peculiari statu ad perfectionem deveniat, homo bonum complere debet et a malo declinare, tradendae servandaeque vitae invigilare, excolere et augere divitias mundi sensibilis, sociales necessitudines exercere, verum exquirere, bonum facere, pulchrum contemplari (Cfr. S. THOMAE *Summa Theologiae*, I-II, q. 94, a. 2).

Dissidentia a quibusdam inducta inter libertatem singulorum et naturam omnibus communem, ut quidem in nonnullis philosophicis doctrinis eminet quae in hodierna cultura magnum habent pondus, impedit quominus ratio legis naturalis universalitatem percipiat. Sed cum personae humanae exprimat dignitatem ipsiusque fundamentum ponat iurium officiorumque praecipuorum, naturalis lex est universalis suis in praescriptis eiusque auctoritas omnes homines complectitur. *Haec universalitas hominum singularitatem non praetermittit*, neque singularitati et non iterabili naturae cuiusque personae officit: contra, ipsius quosque actus radicitus complectitur, qui veri boni testantur universalitatem. Communi legi obsequentes, actus nostri veram personarum communionem efficiunt et, Dei gratia, caritatem exercent, quae est “vinculum perfectionis” (*Col.* 3, 14). Cum vero legem neglegunt vel etiam tantum ignorant, ratione quae imputari potest aut non, nostri actus communionem personarum laedunt singulorum detrimento.

52. Iustum atque bonum est, semper et omnibus, servire Deo, ei debitum cultum reddere atque parentes secundum veritatem vereri. Eiusmodi *conditae leges* quasdam iubentes actiones certosque colendos habitus universe obstringunt; sunt ipsae immutabiles (Cfr. *Gaudium et Spes*, 10; S. CONGR. PRO DOCTRINA FIDEI *Persona*

*Humana*, 4, die 29 dec. 1975: *AAS* 68 (1976) 80: «At vero revelatio divina, atque etiam in rerum ordine sibi proprio, naturalis rationis sapientia, cum germanas attingunt humani generis necessitates, simul necessario in luce ponunt leges immutabiles in elementis constitutivis naturae hominis insitas, quae eaedem apparent in omnibus viventibus qui ratione praediti sunt»); atque eodem bono cunctos omnium aetatum homines nectunt, qui sunt creati ut "eadem vocatione et destinatione divina fruantur" (*Gaudium et Spes*, 29). Leges hae universales stabilesque respondent rationis practicae notionibus atque accommodantur particularibus actibus per conscientiae iudicium. Subiectum quod agit personaliter veritatem in lege sitam usurpat, suam facit hanc sui ipsius veritatem per actus et congruentes virtutes. Naturalis legis *praecepta negantia* universaliter valent: omnes singulosque divinciunt, semper et quavis in rerum condicione. Agitur enim de prohibitionibus certa opera vetantibus *semper et pro semper*, sine ulla exceptione, quandoquidem huiusmodi consuetudinis electio nullo modo cum bonitate voluntatis personae agentis congruit, cum eiusdem pariter vocatione ad vitam cum Deo adque communionem cum proximo. Quisque semper vetatur quominus praecepta violet quae omnes et quocumque pretio cogant, atque laedat

in quoquam et imprimis in se personalem dignitatem omnibus communem.

Ceterum, quod tantum negantia mandata semper omnibusque in rerum adiunctis adstringunt, id non sibi vult in vita morali prohibitiones maius habere pondus quam iussum patrandi bonum a positivis mandatis significatum. Haec est potius ratio: dilectionis Dei proximique mandatum in sua positiva dynamica nullum habet terminum superiorem, sed inferiorem limitem, infra quem mandatum violatur. Praeterea quod in quadam condicione agendum est ex rerum adiunctis pendet, quae non ex integro in antecessum praevideri possunt; contra sunt quaedam agendi rationes quae numquam, nulla sub condicione, congruens responsio haberi possunt conveniens scilicet cum personae dignitate. Tandem semper fieri potest ut homo, vi coactus aliisve adiunctis, impediatur quominus aliquos bonos actus ad effectum deducat; numquam tamen quominus quosdam actus agat, praesertim si morti occurrere ipse est paratus potius quam malum admittere.

Ecclesia semper docuit numquam esse eligendas consuetudines moralibus mandatis prohibitas, quae in Vetere et in Novo Testamento neganti modo perscribuntur. Ut supra dictum est, Iesus ipse immutabilitatem harum prohibitionum confirmat: “Si vis ad vitam ingredi, serva mandata... Non homicidium facies, non

adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices" (*Matth.* 19, 17-18.

53. Hominis aetatis nostrae celsus sensus de historia et de humano cultu, nonnullos inducit ut de ipsius *legis naturalis immutabilitate* ambigant, idcirco "de moralitatis regulis obiectivis" (Cfr. *Gaudium et Spes*, 16), quae valent in omnes homines qui nunc sunt quique sunt futuri, perinde ac pro iis qui fuerunt: quomodo dici potest pollere pro universis semperque iudicia rationesque praeteritis temporibus statuta, cum ignorabatur ad quem progressum perventuri essent homines?

Negari profecto non potest hominem peculiari cuidam dari culturae, sed negari quoque non potest eum penitus in hac minime exhauriri. Ceterum progressus ipse culturarum ostendit aliquid inesse in homine quod eas praetergrediatur. Hoc "aliquid" est prorsus *natura hominis*: haec ipsa natura est culturae modus et pariter condicio, ne ullius culturae servus fiat homo, sed suam dignitatem personalem confirmet, vivendo congruenter altae veritati status sui. Praecipua et stabilia hominis elementa in disceptationem vocare, quae cum ipsa corporea compage nectuntur, non modo aliquid communi experientiae repugnans inducit, verum incomprehensibilem reddunt Iesu mentionem "*principii*" illic sane, ubi socialis culturalisque condicio illius temporis primigenium sensum

momentumque nonnullarum normarum moralium detorserat (Cfr. *Matth.* 19, 1-9). Hoc sensu "affirmat Ecclesia omnibus mutationibus multa subesse quae non mutantur, quaeque *fundamentum suum ultimum in Christo* habent, qui est heri, hodie, Ipse et in saecula" (*Gaudium et Spes*, 10). Ipse est "Principium" quod cum humanam sumpserit naturam, eam omnino illuminat in eius constitutivis elementis eiusque in caritatis dynamismo in Deum et proximum (Cfr. S. THOMAE *Summa Theologiae* I-II, q. 108, a. 1. S. Thomas reponit praeceptorum moralium signum non tantummodo formale, sed etiam notionibus sententiisque statutum, in ambitu quoque Novae Legis, in humana natura prout est assumpta a Verbo).

Procul dubio requirenda et reperienda est normarum moralium universalium stabiliumque *formula quae magis congruat* variis culturae speciebus, aptior ad adiuncta peculiaris temporis continuo ostendenda, ad earum veritatem aperiendam et authentice interpretandam. Haec legis moralis veritas – aeque ac "fidei depositi" – per saecula explicatur: normae autem quae eandem exprimunt sunt substantialiter firmae, sed sunt definiendae et terminandae *"eodem sensu eademque sententia"* (S. VINCENTII LIRINENSIS *Commonitorium primum*, c. 23: *PL* 50, 668) ad historica adiuncta ab Ecclesiae Magisterio, cuius iudicium antecedunt et comitantur nisus lectionis

et formulationisque proprius rationis fidelium atque theologicae inquisitionis (Moralis Ecclesiae doctrinae progressus similis est fidei doctrinae: cfr. CONC. OECUM. VAT. I, *Dei Filius*, cap. 4: DENZ-SCHÖNM., 3020, et can. 4: DENZ-SCHÖNM., 3024. IOANNIS PP. XXIII quoque verba morali doctrinae referuntur, quae ipse Concilii Oecumenici Vaticani II in exordio dixit (11 Octobris 1962): «Oportet ut haec doctrina certa et immutabilis, cui fidele obsequium est praestandum, ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra. Est enim aliud ipsum depositum Fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus, quo eaedem enuntiantur, oedem tamen sensu eademque sententia»: *AAS* 54 (1962) 792).

*II. Conscientia et veritas*

**Sacrarium hominis**

54. Necessitudo quae inter hominis libertatem intercedit et Dei legem vivum habet suum domicilium in "corde" personae, id est in ipsius *morali conscientia*: "In imo conscientiae – Concilium Vaticanum II asseverat – legem homo detegit, quam ipse sibi non dat, sed cui oboedire debet, et cuius vox, semper ad bonum amandum et faciendum ac malum vitandum eum advocans, ubi oportet auribus cordis sonat: fac hoc, illud devita. Nam homo legem in corde suo a Deo

inscriptam habet, cui parere ipsa dignitas eius est et secundum quam ipse iudicabitur (Cfr. *Rom.* 2, 14-16)" (*Gaudium et Spes*, 16).

Idcirco ratio ad quam inter libertatem et legem intellegitur necessitudo, penitus cum conscientiae moralis iudicio nectitur. Hoc sensu supra memoratae humani cultus propensiones, quae ponunt contra et seiungunt inter se libertatem et legem, quaeque veluti idolum quoddam libertatem existimant, ad *"creativa" interpretationem moralis conscientiae perducunt*, quae omnino a translaticia Ecclesiae mente digreditur abque eius Magisterio.

55. De nonnullorum theologorum sententia conscientiae officium, praeteritis saltem temporibus, ad usum tantummodo redactum est generalium normarum, quae ad singulos vitae personae casus usurpantur. Sed huiusmodi normae – autumant illi – integram unamque singulorum actuum personarum peculiaritatem re suscipere et servare nequeunt; iuvare possunt etiam, aliquo modo, ad congruentem *aestimationem* rei condicionis, at substituere non possunt personas, dum suam *agendi rationem* praestituunt quod ad singulos casus spectat. Quin, ante dicta censura translaticiae doctrinae de persona humana deque eius momenti quoad vitam moralem, efficit ut nonnulli auctores dicant has normas haud esse tam obiectivas regulas quae conscientiae iudicia devinciant, sed potius

*generalem prospectum* qui hominem adiuvat in primo accessu, ut ipse vitam personalem socialemque convenienter ordinet. Iidem porro peculiarem notant *implicationem* phaenomeni conscientiae: haec cum psychologico ambitu cumque animi affectione penitus iungitur, aeque ac cum multiplicibus condicionibus, ad societatem et cultum personae pertinentibus. Ceterum etiam summe extollitur valor conscientiae, quam ipsum Concilium finivit "sacrarium hominis, in quo solus est cum Deo, cuius vox resonat in intimo eius" (*Gaudium et Spes*, 16). Haec vox – dicitur – inducit hominem non tam ad universalium normarum scrupulosam observantiam, quam ad fecundam responsalemque susceptionem officiorum quae Deus ei concredit.

Cum coscientiae vim "effectivam" efferre velint, nonnulli auctores eius actus non iam "iudicia" appellant, sed "deliberationes": tantummodo has suscipiendo deliberationes "autonoma ratione" homo moralem perfectionem attingere potest. Sunt etiam qui dicant huic perfectionis cursui nimis officere positionem, quam in compluribus quaestionibus habet Ecclesiae Magisterium, cuius interventus *coscientiae dissidia* in fidelibus efficere possunt.

56. Ut suas rationes comprobarent, nonnulli duplex veritatis moralis institutum proposuerunt. Praeter enim gradum doctrinalem et a rebus abstractum, proprietas esset agnoscenda alicuius

considerationis exsistentialis magis ad rem accommodatae. Haec, rerum condiciones et statum considerans, *exceptiones in regulas generales* legitime inducere posset et sic re agere, bona conscientia, id quod intrinsece habetur malum secundum legem moralem. Hoc modo nonnullis in casibus distractio efficitur, vel etiam oppositio, inter doctrinam praecepti quod in universum sua vi pollet, et singulae conscientiae normam, quae de bono maloque reapse decernit. Hoc super fundamentum statuere ipsi contendunt "pastorales", quas dicunt, legitimas solutiones, quae sunt contrariae Magisterio Ecclesiae, atque comprobare volunt quandam hermeneuticam "effectricem", secundum quam coscientia moralis non tenetur, omnibus in rerum adiunctis, peculiari praecepto neganti.

Nemo est quin intellegat his opinationibus *identitatem ipsam subverti moralis conscientiae* prae hominis libertate et Dei lege. Sola explicatio ante acta, quae necessitudinem respicit inter libertatem et legem veritatis fundamento nisam, aequam reddit *discretionem* de hac conscientiae "creatrice" interpretatione.

**Iudicium conscientiae**

57. Textus ipse *Epistulae ad Romanos*, ex quo essentia elicitur legis naturalis, etiam *notionem conscientiae ex libris divinis depromptam demonstrat*, praesertim *conscientiae cum lege proprie copulatae*: "Cum enim gentes, quae Legem non habentes,

naturaliter quae Legis sunt faciunt, eiusmodi Legem non habentes ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium simul reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus" (*Rom.* 2. 14-15).

Secundum verba sancti Pauli, conscientia, quippe quae aliquo modo hominem ponat in conspectu legis, ipsa fit *homini "testis"*: testis eius fidelitatis aut infidelitatis erga legem, naturalis scilicet ipsius probitatis aut pravitatis morum. Conscientia est *unicus* testis: quod accidit in corde hominis, id extrinsecus ceteros omnes latet. Nonnisi in personam ipsam suum vertit testimonium; atque vicissim, sola persona cognoscit id quod ad vocem suae conscientiae ipsa respondet.

58. Numquam satis aestimabitur momentum secreti eiusmodi *dialogi ipsius hominis secum*: qui tamen reapse verus est *dialogus hominis cum Deo*, ipso legis auctore, primo hominis exemplo ultimoque fine. "Conscientia – scribit sanctus Bonaventura – est sicut praeco Dei et nuntius, et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut praeco, cum divulgat edictum regis. Et hinc est, quod conscientia habet virtutem ligandi" (S. BONAVENTURAE *In II Librum Sentent.*, dist. 39, a. 1, q. 3, concl.: Ed. Ad Claras Aquas, II, 907 b). Ergo dici potest conscientia

testimonium humanae probitatis aut pravitatis ipsi homini dare; sed uno tempore, quin etiam antea, est *testimonium ipsius Dei*, cuius vox ac iudicium insinuatur in intimum hominis, usque ad eius animi radices, vocans eum fortiter et suaviter ad oboedientiam: “Conscientia moralis non in solitudine insuperabili et impenetrabili includit hominem, sed vocationi aperit vocique Dei. In hoc tantum, neque alibi, totum positum est mysterium conscientiae moralis eiusque dignitas: esse scilicet locum et ambitum, ubi Deus hominem alloquitur” (IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio in Audientia generali*, 2, die 17 aug. 1983: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, VI, 2 (1983) 256).

59. Sanctus Paulus non agnoscit tantum conscientiam testis munere fungi, sed revelat etiam quo modo ipsa hoc officium impleat. De “cogitationibus” res est, quae accusant vel defendunt gentiles in iis quae pertinent ad eorum rationem vivendi (Cfr. *Rom.* 2, 15). Vox “cogitationes” id ostendit, quod conscientiae est proprium, id est eam consistere in morali iudicio *de homine eiusque actionibus*: agitur de iudicio absolutorio aut damnatorio, prout hominis actus cum divina lege animo infixa sunt consentanei aut ab ea discrepantes. De ipso actionum iudicio, unoque tempore de earum auctore deque temporis puncto perfectae exsecutionis, loquitur apostolus Paulus eodem loco: ita erit “in die cum iudicabit Deus occulta hominum secundum

Evangelium meum per Christum Iesum” (*Ibid.* 2, 16).

Iudicium conscientiae est *iudicium practicum*, quod nempe intimat homini quae ei facienda aut vitanda sint, vel iudicat actionem ab eo iam ad effectum adductam. Est iudicium quod certae definitaeque rerum condicioni rationalem persuasionem accommodat bonum esse amandum et faciendum, malum vero vitandum. Hoc primum rationis practicae principium pertinet ad legem naturae, immo est ipsius fundamentum, cum lucem exprimat illam primigeniam de bono et malo, repercussionem creatricis sapientiae Dei, quae, velut immortalis *scintilla animae*, splendet in corde cuiusque hominis. Attamen, dum in universum lex naturae declarat obiectiva et universalia boni moralis postulata, conscientia legem accommodat singulis casibus, eademque interius praeceptum fit homini, vocatio quaedam ad faciendum bonum in certa definitaque rerum condicione. Ita conscientia, praelucente lege naturali, *officium morale* enuntiat: est iudicium praecipiens id esse faciendum, quod homo ex animi conscientia cognoscit ut bonum *hic et nunc* sibi assignatum. Perpetua legis obligationisque proprietas non deletur, sed potius confirmatur cum ratio apponit applicationes ad casum definitum ac re praesentem. Iudicium conscientiae “ultimo” affirmat congruentiam cuiusdam certae ac finitae

agendi rationis quoad legem; proximam proponit normam de moralitate actus voluntarii, qua ad effectum adducitur "legis obiectivae ad particularem casum applicatio" (SUPREMAE SACRAE CONGR. S. OFFICII Instr.de «ethica situationis» *Contra doctrinam*, die 2 febr. 1956: *AAS* 48 (1956) 144).

60. Sicut ipsa lex naturalis atque quaevis practica cognitio, etiam conscientiae iudicium vim imperiosam habet: convenienter ei homo *operari debet*. Si quid contra eiusmodi iudicium is fecerit, vel si definitum quendam patraverit actum, deficiente probitatis et bonitatis eius persuasione, homo damnatur sua ipsius conscientia, *norma proxima moralitatis cuiusque hominis*.

Postulationis huius rationalis dignitas atque vocis eius ac iudiciorum auctoritas oriuntur ex ipsa boni malique veritate, quam eius est audire ac enuntiare. Haec veritas significatur "lege divina", quae est *moralitatis norma universalis et obiectiva*. Conscientiae iudicium non condit legem, sed testatur auctoritatem legis naturalis ac rationis practicae quod attinet ad summum bonum, cuius persona humana attractivam virtutem suscipit atque praecepta accipit: "Conscientia non est fons ex sese aptus et unicus ad statuendum quid bonum sit quidque malum; est, contra, in ea penitus insertum principium oboedientiae erga normam obiectivam, quae substruit et condicionibus adstringit eius consiliorum

probitatem per iussa et prohibitiones, quae vitae humanae rationem regunt" (IOANNIS PAULI PP. II *Dominum et Vivificantem*, 43; cfr. *Gaudium et Spes*, 16; *Dignitatis Humanae*, 3).

61. Veritas de bono morali, rationis lege significata, practice ac definite cognoscitur conscientiae iudicio, quod boni aut mali auctorem ad causam sui actus in se transferendam inducit: si homo malum admiserit, iustum eius conscientiae iudicium in eo testimonium esse pergit tum universalis veritatis, quae ad bonum pertinet, tum improbitatis, quam is delegerit. At in eo etiam veluti spei et misericordiae pignus permanet sententia conscientiae: dum admissum testatur malum, simul eum etiam de venia poscenda monet, de bono iugiter faciendo, necnon de virtute ex gratia Dei semper colenda.

Ita *in practico conscientiae iudicio*, quod personae praecipit ut actionem definitam patret, *apparet vinculum libertatis cum veritate*. Hac ipsa de causa conscientia exprimitur per "iudicii" actus, qui non "consilia" arbitraria, sed veritatem de bono ostendunt. Quorum iudiciorum maturitas ac responsalitas – et definite ipsius hominis qui eorum est subiectum – non perpenduntur ex conscientiae liberatione a veritate obiectiva, pro coniecta quadam eius consiliorum autonomia, sed ex contrario ex intenta veritatis investigatione, necnon ex potestate veritati facta gubernandi proprios actus.

**Veritatem inquirere ac bonum**

62. Conscientia, utpote iudicium de actu quodam, non talis est, quae ab omni errore libera esse possit. "Non raro evenit, – ut declarat Concilium – ex ignorantia invincibili conscientiam errare, quin inde suam dignitatem amittat. Quod autem dici nequit cum homo de vero ac bono inquirendo parum curat, et conscientia ex peccati consuetudine paulatim fere obcaecatur" (*Gaudium et Spes*, 16). Hisce verbis Concilium summmatim doctrinam praebet, quam decurrentibus saeculis elaboravit Ecclesia de *conscientia erronea.*

Homo profecto, ut habeat "conscientiam bonam" (*1 Tim.* 1, 5), inquirere debet veritatem, secundum quam et iudicare debet. Ut ait apostolus Paulus, conscientia a Spiritu Sancto collustrari debet (Cfr. *Rom.* 9, 1), "pura" esse debet (*2 Tim.* 1, 3), neque debet in astutia versari, neque adulterare verbum Dei, sed esse "in manifestatione veritatis" (Cfr. *2 Cor.* 4, 2). Ceterum Christifideles sic admonens loquitur memoratus Apostolus: "Nolite conformari huic saeculo, sed transformamini renovatione mentis, ut probetis quid sit voluntas Dei, quid bonum et bene placens et perfectum" (*Rom.* 12, 2).

Pauli admonitio ad vigilantiam nos sollicitat, docens in iudiciis nostrae conscientiae semper errorem inhaerere posse.

Ipsa *non est iudex infallibilis*: errare potest. Nihilominus conscientiae error fructus esse potest cuiusdam certae ignorantiae invincibilis, ignorantiae scilicet quam persona non animadvertit, et ex qua egredi per se nequit.

Ubi eiusmodi *ignorantia invincibilis* caret culpa, nos Concilium commonefacit, conscientia suam dignitatem non amittit, quia, etsi re aliter ac obiectivus ordo moralis nos dirigit, tamen nomine illius de bono veritatis alloqui haud cessat, ad quam sincero animo inquirendam homo vocatur.

63. Semper tamen conscientiae dignitas ex veritate emanat: si recta est conscientia, tunc agitur de *veritate obiectiva* ab homine accepta; si conscientia est erronea agitur de eo quod homo errando *subiective* putat Verum. Numquam licet errorem "subiectivum" de bono morali non distinguere a veritate "obiectiva", quae rationabiliter homini pro fine suo proponitur, neque fas est se revocare ad moralem vim actus, quem quis vera certaque conscientia patraverit, cum aliquid patratum fuerit ex iudicio conscientiae erroneae (Cfr. S. THOMAE *De Veritate*, q. 17, a. 4). Fieri potest ut malum ob ignorantiam invincibilem admissum aut ex errore iudicii culpa carentis, non imputetur ei qui id patravit; at ne tunc quidem cessat esse malum, aliquid scilicet inordinatum, quod attinet ad veritatem de bono. Insuper, bonum quod non cognoscitur, nihil confert morali incremento

hominis agentis: id nec eum meliorem reddit, nec eum instruit ad summum bonum. Sic ante quam purgatos nos facile existimemus nomine nostrae conscientiae, verba psalmistae nobis sunt reputanda: "Errores quis intellegit? Ab occultis munda me" (*Ps. 19 (18)*, 13). Culpae sunt, quae, etsi eas videre non valemus, tales tamen permanent, quia renuimus ad lucem accedere (Cfr. *Io.* 9, 39-41).

Conscientia, veluti postremum iudicium concretum, in discrimen suam dignitatem adducit cum est *culpabiliter erronea*, scilicet "cum de veritate bonoque exquirendo non curat, cumque ex assuetudine peccandi fere excaecatur" (*Gaudium et Spes*, 16). De periculis deformationis conscientiae mentionem facit Iesus, cum monet: "Lucerna corporis est oculus. Si ergo fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebrae sunt, tenebrae quantae erunt!" (*Matth.* 6, 22-13).

64. In Iesu sermone, de quo supra diximus, etiam arcessitum invenimus ad *formandam conscientiam*, in ea continenter "conversionis" obiectum reddenda: loquimur de conversione ad veritatem et bonum. Similia sunt verba, quibus nos Apostolus exhortatur, ne ad hunc mundum nos conformemus, sed ut nos ipsos convertamus renovatione mentis (Cfr. *Rom.* 12, 2). "Cor" sane,

quod se ad Dominum ac boni amorem convertitur, est fons verorum conscientiae iudiciorum. Etenim, ut probemus "quid sit voluntas Dei, quid bonum et bene placens et perfectum" (*Ibid.*), legem divinam in universum agnoscamus est necesse, sed hoc non est satis: prorsus necessaria est *"connaturalitas" inter hominem verumque bonum* (Cfr. S. THOMAE *Summa Theologiae*, II-II, q. 45, a. 2) Eiusmodi connaturalitas radicatur et augescit rectis in propositis ipsius hominis: prudentia ceterisque virtutibus cardinalibus, et vel in primis virtutibus theologalibus fidei, spei et caritatis. Eo se referens sic locutus est Iesus: "qui autem facit veritatem, venit ad lucem" (*Io.* 3, 21).

Christifideles ad conscientiam formandam *magnum in Ecclesia in eiusque Magisterio* inveniunt *auxilium*, sicut asseverat Concilium: "Christifideles in sua formanda conscientia diligenter attendere debent ad sacram certamque Ecclesiae doctrinam. Christi enim voluntate Ecclesia Catholica magistra est veritatis, eiusque munus est, ut Veritatem quae Christus est enuntiet atque authentice doceat, simulque principia ordinis moralis, ex ipsa natura humana profluentia, auctoritate sua declaret atque confirmet" (*Dignitatis Humanae*, 14). Ideo Ecclesiae auctoritas, quae suam de quaestionibus moralibus sententiam dicit, nihil de Christifidelium conscientiae libertate detrahit: tum quia conscientiae libertas

numquam est resolutio “a” veritate, sed semper ac solum est “in” veritate; tum etiam quia Magisterium non extraneas christianae conscientiae veritates affert, sed veritates patefacit, quas iam possidere deberet, eas ab actu fidei primigenio excolendo. Ecclesia solum ac semper in famulatu conscientiae se collocat, eam adiuvat, ne sit fluctuans neve circumagatur “omni vento doctrinae in fallacia hominum” (Cfr. *Eph.* 4, 14), ne aberret ex veritate de bono hominis, sed, ad quaestiones praesertim difficiliores quod attinet, ut veritatem tute assequatur in eaque maneat.

*III. Delectio fundamentalis ac definitae sese gerendi rationes*

**“Ne libertatem in occasionem detis carni”** (*Gal.* 5, 13).

65. Cura de libertate, quae singulariter hodie est acrior, complures inducit scientiarum humanarum et theologicarum cultores ad acutiorem in modum eius naturam dynamicasque vires pervestigandas. Recte notatur libertatem non solum in hac aliave particulari actione deligenda consistere; sed esse etiam, et quidem in ambitu eiusmodi delectionis, ipsum *iudicium de se ipso* atque locationem propriae vitae ad Bonum aut ad eius declinationem, ad Veritatem aut contra eam, extremum ad aut contra Deum. Merito insistitur eminenti momento peculiarium delectionum, quae dant “formam” omni vitae

morali hominis, cum sumant sibi faciem alvei, ubi et ceterae particulares singulorum dierum delectiones locum atque progressum invenire poterunt.

Auctores nonnulli tamen multo subtiliorem proponunt recogni tionem *rationis inter personam et actus*. De "libertate fundamen tali" loquuntur quae altior est atque alia ac libertas delectio nis, qua haud animadversa nequeunt actus humani intellegi neque recte aestimari. Ad mentem talium auctorum, caput vitae moralis assignandum videtur "optioni fundamentali", ab illa libertate praecipua ad rem deducta, qua homo de se totaliter decernit, non delectione definita et conscia rationeque reflexa, sed forma "transcendentali" atque "athematica". *Actus particulares* hac optione expressi conatus haberentur circumscripti nec unquam decretorii ad eam exprimendam, qui scilicet non aliter essent habendi quam eius "signa" vel indicia. Id in quo eiusmodi actus proxime versantur – ut dicunt – non summmum est Bonum (cuius in conspectu libertas personae modo transcendentali significetur) sed sunt bona particularia (quae etiam "categorialia" dicuntur). Nonnulli vero theologi opinantur nullum ex his bonis, quae finita sunt suapte natura, posse libertatem totius hominis determinare, quamvis homo fundamentalem sui ipsius optionem solum per

eorum effectionem aut recusationem indicare possit.

Ita eo pervenitur, ut *inter optionem fundamentalem et consultas delectiones cuiusdam definitae actionis* distinctio introducatur, quae apud nonnullos auctores formam *dissociationis* accipit cum expresse “bonum” et “malum” morale amplitudini assignant transcendentali quae optionis fundamentalis est propria, eas delectiones, quae ad particulares se gerendi rationes “intramundanas” pertinent, “iustas” aut “erroneas” appellantes, respicientes scilicet ad rationes hominis cum semet ipso, cum ceteris hominibus, cumque universis rebus. Ita et intus, in hominis actione, hiatus inter binos moralitatis gradus adumbrari videtur: hinc ordo boni et mali ex voluntate pendens, illinc definiti actus, qui moraliter iusti aut mendosi censentur secundum solam technicam computationem proportionis inter bona et mala “praemoralia” aut “physica”, quae reapse actionem sequuntur. Adeo ut concreta agendi ratio, libere quoque delecta, simplex processus physicus existimetur, neque secundum normas quae actionis humanae sunt propriae. Eoque res deducitur, ut hominis qualitas proprie moralis reservetur optioni fundamentali, eam totaliter vel partim detrahendo a delectione actuum particularium definitarum sese gerendi rationum.

66. Nullum dubium quin Christiana doctrina moralis, eademque ipsis in litteris divinis infixa, propriam agnoscat vim delectionis fundamentalis, quae et vitae morali nomen tribuit et libertatem coram Deo radicitus astringit. Res est de *delectione fidei*, de *oboeditione fidei* (Cfr. *Rom.* 16, 26), "qua homo se totum libere Deo committit, "plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium" praestando" (*Dei Verbum*, 5; cfr. CONC. OECUM. VAT. I *Dei Filius*, cap. 3: DENZ-SCHÖNM., 3008). Haec fides, quae per caritatem operatur (Cfr. *Gal.* 5, 6), e medio exoritur homine, ex "corde" eius (Cfr. *Rom.* 10, 10), unde ad fructus ex operibus edendos evocatur (Cfr. *Matth.* 12, 33-35; *Luc.* 6, 45; *Rom.* 8, 5-8; *Gal.* 5, 22). In Decalogo clausula singulis mandatis praeponitur fundamentalis: "Ego sum Dominus Deus tuus..." (*Ex.* 20, 2), quae, in multiplicibus variisque praeceptis particularibus primigeniam significationem imprimens, morali Foederis proprietati certam aliquam confirmat formam universitatis, unitatis et altitudinis. Israelis ergo delectio fundamentalis ad primarium respicit mandatum (Cfr. *Ios.* 24, 14-25; *Ex.* 19, 3-8; *Mic.* 6, 8). Etiam in Novi Foederis morali princeps est fundamentalis invitatio Iesu ut eum "sequamur" – sic et adulescenti ait: "Si vis perfectus esse... veni, sequere me" (*Matth.* 19, 21): – cui invitationi discipulus suo consilio suaque praecipua electione respondet. Evangelicae

parabolae de thesauro ac pretiosa margarita, pro qua omnia venduntur quae possidentur, clarae sunt figurae, quibus proprietas significatur praecipua et absoluta delectionis, quam Regnum Dei poscit. Caput delectionis Iesum sectandi ipsius verba demonstrant mirum in modum: "Qui voluerit animam suam salvam facere perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam eam faciet" (*Marc.* 8, 35).

Iesu vocatio "veni et sequere me" hominis libertatem designat et quam maxime extollit atque, eodem tempore, testatur veritatem et obligationem actuum fidei necnon consiliorum quae dici possunt optionis fundamentalis. Similem humanae libertatis exaltationem in verbis sancti Pauli invenimus: "Vos enim in libertatem vocatis estis" (*Gal.* 5, 13). Confestim tamen gravem Apostolus addit admonitionem: "Tantum ne libertatem in occasionem detis carni", ubi superiora resonant verba eius: "Hac libertate nos Christus liberavit; state igitur, et nolite iterum iugo servitutis detineri" (*Ibid.* 5, 1). Paulus apostolus nos ut vigilemus hortatur: servitus perpetuo insidiatur libertati. Hoc ad actum fidei proprie pertinet – quatenus est optio fundamentalis – qui, secundum propensiones quas diximus, a delectione actuum particu larium re positorum seiungitur.

67. Propensiones hae a biblica ergo discrepant doctrina, quae optionem

fundamentalem tamquam veram certamque libertatis delectionem explicat eamque cum actibus particularibus alte coniungit. Delectione fundamentali valet homo vitam suam dirigere atque, gratia adiuvante, ad finem suum tendere, divinae obsequens vocationi. Haec vero facultas re exercetur in peculiaribus definitorum actuum delectionibus, per quas consulto homo ad Dei voluntatem, sapientiam ac legem se conformat. Proindeque est asseverandum *hanc optionem fundamentalem, in quantum a vago differat consilio*, et ideo ad formam obligatoriam libertatis nondum definito, *semper effici delectionibus consciis ac libere patratis*. Hac ipsa de causa *illa tum retractatur cum homo libertatem suam consciis obstringit contrariis delectionibus, ad rem moraliter gravem pertinentibus*.

Optionem fundamentalem a definitis sese gerendi rationibus seiungere idem est ac dissentire ab integritate substantiali vel ab unitate personae moraliter agentis quae corpore et animo constat. Optio fundamentalis sic intellecta, ut expresse a vi inde excitata separetur necnon a consiliis eam designantibus, non consilio rationali obsequitur, quod in homine agenti est insitum, neque ius reddit singulis delectionibus, quas quis patraverit. Enimvero moralitas actuum humanorum non patescit e sola voluntate, inclinatione, vel optione fundamentali in mentem tracta omni officio probe definito carenti, aut exaequata menti cui nullus alacer respondet nisus de variis vitae

moralis officiis. Iudicium de moralitate fieri nequit, si abstrahitur a congruentia aut discrepantia deliberatae delectionis cum definita se gerendi ratione quoad personae humanae dignitatem et integram vocationem. Quaelibet delectio semper requirit nexum deliberatae voluntatis cum bonis aut malis, quae lege naturali tamquam bona demonstrantur persequenda aut devitanda. Ubi res est de positivis moralibus praeceptis, prudentis semper est videre sintne ipsa ad definitum rerum statum pertinentia, ratione habita, verbi gratia, aliorum forsitan graviorum potiorumque officiorum. Negativa tamen praecepta moralia, quibus scilicet quaedam veluti intrinsece malae prohibentur actiones vel definitae se gerendi rationes, nullam iustam accipiunt exceptionem; nullum spatium relinquunt moraliter admittendum pro "creativitate" alicuius contrariae determinationis. Postquam certe definiteque species moralis actionis, quae lege universali prohibetur, est agnita, unus actus moraliter bonus est obtemperatio legi morali atque vitatio actionis lege prohibitae.

68. Pastoralis subicienda est magni momenti animadversio. Secundum logicam positionum, quas supra diximus, valeret homo, vi optionis cuiusdam fundamentalis, fidelitatem erga Deum servare, nulla ratione habita quarundam eius delectionum actionumque definitarum, quae

legibus normisque moralibus propriis conveniunt aut ab eis discrepant. Ob primigeniam optionem colendi caritatem, homo posset moraliter bonus permanere, in gratia Dei perseverare, suam assequi salutem, haud obstantibus quibusdam definitis se gerendi rationibus, quae deliberate graviterque Dei mandatis ab Ecclesia propositis repugnare possent.

Homo, re vera, non propter hoc tantum, quod optionem illam fundamentalem, qua se "totum libere Deo" commiserat (*Dei Verbum*, 5; cfr. S. CONGR. PRO DOCTRINA FIDEI *Persona Humana*, 10, die 29 dec. 1975: *AAS* 68 (1976) 88-90) non servaverit, perire potest. Is enim omni letali peccato, quod deliberato consensu admiserit, laedit Deum qui legem dedit, ideoque noxius fit in cunctam legem (Cfr. *Iac.* 2, 8-11); etiamsi fidem servet, is amittit tamen "gratiam sanctificantem", "caritatem" et "beatitudinem aeternam" (Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Reconciliatio et Paenitentia*, 17). Gratia iustificationis – ut docet Concilium Tridentinum – semel accepta amitti potest non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato" (CONC. OECUM. TRIDENT. Decr. de iustificatione *Cum hoc tempore*, cap. 15: DENZ-SCHÖNM., 1544; can. 19: DENZ-SCHÖNM., 1569).

**Peccatum mortale et veniale**

69. Animadversiones de optione fundamentali, ut iam demonstravimus, nonnullos theologiae cultores ad acutam adduxerunt inspectionem ipsius traditae distinctionis peccatorum *mortalium* a peccatis *venialibus*. Ii illustrant divinae legi adversationem, quae inducit amissionem "gratiae sanctificantis" – atque aeternae damnationis hominis qui eiusmodi peccati statu oppressus moriatur – solum fructum esse posse actus qui implicet hominem totum, id est actum optionis fundamentalis. Putant hi theologiae cultores peccatum mortale, quod hominem a Deo separat, tum tantum exsistere cum quis Deum recusaverit, tali tamen libertatis gradu, qui non idem sit ac actus delectionis, neque reflexa perceptione conscientiae attingatur. Hoc sensu – subiciunt – vix conceditur, saltem psychologice, Christifidelem, qui cum Christo Domino eiusque Ecclesia usque coniungi velit, tam facile posse peccata subinde patrare mortalia, sicut ipsa eius actuum "materia" demonstrare id aliquando videtur. Simili modo vix conceditur posse hominem, brevi temporis spatio, suum radicitus vinculum communionis cum Deo solvere, seque deinde sincera poenitentia ad eum convertere. Ipsi dicunt, igitur, oportere ut gravitatem peccati metiamur potius quantitate studii libertatis, qua actum quis patraverit, quam materia eiusmodi actus.

70. Adhortatio apostolica postsynodalis Reconciliatio et paenitentia confirmavit momentum iuxta traditionem Ecclesiae atque valentem hoc etiam tempore vim distinctionis inter mortalia peccata et venialia. Ipsaque Episcoporum Synodus anno MCMLXXXIII celebrata, unde haec prodiit Adhortatio, "non solum confirmavit, quod a Concilio Tridentino decretum est de exsistentia et natura peccatorum *mortalium* et *venialium*, sed etiam memoravit *peccatum mortale* esse peccatum cuius obiectum est materia gravis et, insuper, plena conscientia et deliberato consensu admittitur" (Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Reconciliatio et Paenitentia*, 17).

Concilii Tridentini sententia non modo peccati mortalis "materiam gravem" considerat, sed etiam, et quidem veluti necessariam eius condicionem, "plenam advertentiam et deliberatum consensum". Ceterum, cum theologiae morali tum actioni pastorali probe noti sunt casus, ubi, etsi gravis est actus ratione habita materiae, tamen, cum agentis plena absit advertentia aut deliberatus consensus peccatum mortale certe abest. Pariter "cavendum est ne peccatum mortale ad actum *"optionis fundamentalis"* – ut nunc aiunt – contra Deum redigatur", quo contemptio Dei aut proximi, explicita atque formalis, significetur aut amoris implicita neque repercussa repudiatio contineatur. "Etenim peccatum mortale" etiam admmittitur cum sciens

et volens homo, quavis de causa, aliquid eligit quod gravis est deordinatio. Re quidem vera, in eiusmodi delectione iam continetur contemptio praecepti divini, repudiatio amoris Dei erga genus humanum omnemque creaturam: homo se ipsum a Deo amovet et caritatem amittit. *Primaria* ergo *hominis propensio actibus particularibus funditus potest mutari*. Sine dubio condiciones esse possunt admodum implicatae et obscurae, quod ad rem psychologicam attinet, quae ad imputabilitatem subiectivam peccantis habent momentum. Sed non licet a consideranda regione psychologica transire ad constituendam categoriam theologicam, cuius modi est ipsa "optio fundamentalis", quae ita intellegatur ut notio traditione accepta peccati mortalis in prospectu obiectivo mutetur aut in dubitationem vocetur" (*Ibid.*).

Ita disiunctio inter optionem fundamentalem et voluntarias optiones definitarum rationum se gerendi suapte natura aut ob rerum adiuncta malas, quibus in controversiam illa non deducatur, prae se fert contemptionem doctrinae catholicae de peccato mortali: "Cum tota Ecclesiae traditione *peccatum mortale* eum dicimus actum, quo homo sponte scienterque repudiat Deum, eius legem, foedus caritatis a Deo sibi propositum, praeoptans se ad se ipsum et ad aliquid divinae voluntati contrarium convertere (*conversio ad creaturam*). Quod quidem fieri potest

modo directo atque formali, veluti per peccata idololatriae, apostasiae, atheismi; aut aequali modo, ut cum mandatis divinis in materia gravi non obtemperatur” (Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Reconciliatio et Paenitentia*, 17).

*IV. Actus moralis*

### Teleologia et teleologismus

71. Nexus inter hominis libertatem et legem Dei, cuius interior vivaque sedes in conscientia morali inest, patet ac perficitur *actibus humanis*. Ipsis enim actibus suis homo ut talis se perficit, hominem dicimus, qui vocatur, “ut Creatorem suum sponte quaerat et libere ad plenam et beatam perfectionem ei inhaerendo perveniat” (Cfr. *Gaudium et Spes*, 17).

Humani actus sunt actus morales, quia auctoris sui probitatem aut malitiam designant atque constituunt (Cfr. S. THOMAE *Summa Theologiae*, I-II, q. 1, a. 3: «Idem sunt morales et actus humani»). Ii non modo exteras commutant hominis condiciones, sed, utpote optiones deliberatae, etiam moralem proprietatem suo tribuunt auctori, cuius et *intimorum spiritalium lineamentorum* sunt causa, sicut sanctus Gregorius Nyssenus animadvertit praeclare: “Cuncta ergo quae in mutatione ac fluxu posita sunt, numquam firma manent, sed alterum ex altero gignitur, et aut ad melius aut ad peius semper exitus fit... Est autem vita humana mutationi continenter

supposita: quare oportet, cum non sit aeterna et immutabilis, semper nasci. Sic autem nasci non aliena fit appetitione, non extrinsecus, ut in corporali nativitate, sed electione propria unusquisque nascitur: unde fit, ut nos *ipsi patres* quodammodo simus nostri, qualescumque nos volumus electione gignentes" (S. GREGORII NYSSENI *De vita Moysis*, II, 2-3: *PG* 44, 327-328).

72. *Moralitas actuum* statuitur ratione libertatis hominis ad bonum authenticum. Bonum hoc statuitur, velut aeterna lex, a Sapientia Dei, qui unamquamque ordinat creaturam ad eius finem: haec lex aeterna agnoscitur tam per naturalem hominis rationem (et ita "lex naturalis"), quam – modo quidem integrali et perfecto – per supernaturalem Dei revelationem (et vocatur "lex divina"). Agere est moraliter bonum, cum libertatis delectiones *congruentes vero hominis bono* sunt et ita voluntariam personae ordinationem ad finem ultimum, seu ad ipsum Deum, demonstrant: bonum supremum in quo homo suam plenam perfectamque invenit beatitudinem. Id, quod adulescens cum Iesu colloquens initio quaesivit: "quid boni faciam ut habeam vitam aeternam?" (*Matth.* 19, 16), *essentiale vinculum inter moralem vim actus et finem ultimum hominis* immediate patefacit. Respondens Iesus, id confirmat, quod collocutor sibi persuasum habet: exsecutionem proborum actuum, quos Qui "unus est bonus"

praecipit, condicionem necessariam esse viamque ad aeternam beatitudinem: "si vis ad vitam ingredi, serva mandata" (*Ibid.* 19, 17). Iesus, ita respondens atque ad mandata remittens, demonstrat viam ad finem observantia signari divinarum legum, quae humanum bonum tueantur. *Unus actus congruens bono via esse potest ad vitam ducens.*

Actus humani rationalis ordinatio ad bonum ut tale atque voluntaria comparatio huius boni ratione cogniti, moralitatem constituunt. Humanus proinde actus nequit ideo tantum moraliter bonus existimari, quia aptus ad hoc illudve propositum consequendum, aut simpliciter quia bona est agentis mens (Cfr. S. THOMAE *Summa Theologiae*, II-II, q. 148, a.3). Agere tunc moraliter bonum est cum testatur atque significat voluntatem personae ad ultimum finem ordinari, atque definiti actus congruentiam cum bono humano sic ut agnoscitur a ratione in eius veritate. Si definiti actus obiectum cum vero personae bono non est consentaneum, huius actus electio voluntatem nostram nosque ipsos moraliter malos reddit, efficitque ut fini ultimo supremoque bono, seu Deo, repugnemus.

73. Christifidelis, beneficio Revelationis Dei ac fidei, "novitatem" dignoscit qua suorum actuum moralitas signatur: qui ad declarandam arcessuntur cohaerentiam aut discrepantiam a dignitate et vocatione, quas gratia ei dedit; in

Christo Iesu eiusque in Spiritu Christifidelis est "nova creatura", Dei filius, atque per actus suos demonstrat se imagini Filii, primogeniti in multis fratribus (Cfr. *Rom.* 8, 29), similem aut dissimilem esse, suam erga Spiritus donum fidelitatem vivit aut infidelitatem, reseratur aut obicitur vitae aeternae, visionis et amoris ac beatitudinis communioni cum Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto (Concilium Oecum. Vat. II in Costitutione pastorali de Ecclesia in mundo huius temporis affirmat: «Quod non tantum pro christifidelibus valet, set et pro omnibus hominibus bonae voluntatis in quorum corde gratia invisibili modo operatur. Cum enim pro omnibus mortuus sit Christus cumque vocatio hominis ultima revera una sint, scilicet divina, tenere debemus Sriritum Sanctum cunctis possibilitatem offerre ut, modo Deo cognito, huic paschali mysterio consoscietur»: *Gaudium et Spes*, 22). Christus "Ad imaginem suam ita nos facit – sanctus scribit Cyrillus Alexandrinus – ut divinae naturae proprietates per sanctificationem, iustitiam vitamque virtuti congruentem nobis refulgeant... Huius imaginis pulchritudo lucet in nobis, qui in Christo sumus, quoties bonis operibus probos nos ostendimus viros" (*Tractatus ad Tiberium Diaconum sociosque, II. Responsiones ad Tiberium Diaconum sociosque*: S. CYRILLI ALEXANDRINI *In divi Johannis Evangelium*, vol. III, ed. PHILIP

EDWARD PUSEY, Bruxelles, Culture et Civilisation (1965) 590).

Hoc sensu vita moralis essentialem habet *naturam "teleologicam"*, quoniam in actuum consulta ordinatione ad Deum, summum bonum ultimumque hominis finem (telos), consistit. Id iterum confirmat interrogatio adulescentis a Iesu requirentis: "quid boni faciam ut habeam vitam aeternam?". Haec tamen ordinatio ad ultimum finem non est mensura in subiecto posita, ab intentione tantum dependens. Ipsa requirit ut per se eiusmodi actus ad memoratum finem ordinari possint, utpote congruentes authentico hominis bono morali, quod mandata tuentur. Id proprie Iesus adulescenti respondens memorat: "Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata" (*Matth.* 19, 17).

Cuiusmodi ordinatio, ut patet, rationalis et libera esse debet, conscia ac deliberata, cuius vi homo est suorum actuum "responsalis" obnoxiusque iudicio Dei, iusti iudicis et misericordis, qui bonum remuneratur malumque ulciscitur, sicut admonet apostolus Paulus: "Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque pro eis quae per corpus gessit, sive bonum sive malum" (*2 Cor.* 5, 10).

74. At undenam oritur moralis appellatio actionis hominis libere agentis? Quid in tuto ponit hanc humanorum actuum *ordinationem ad Deum*?

Exne subiecti agentis intentione rerumne adiunctis – et praesertim *consectaris* – ipsiusne eius actus obiecto?

Haec est quaestio, quae translaticio more "quaestio de fontibus moralitatis" vocatur. Ad quam quod pertinet, his decennis novae – vel renovatae – apparuerunt proclivitates culturales ac theologicae, quae accuratum ab Ecclesiae Magisterio iudicium postulant.

Quaedam *theoriae ethicae*, quibus nomen "*teleologicae*", attentae videntur ad convenientiam humanorum actuum cum propositis, quae agens assequitur, et cum bonis, quae ipse petit.

Normae ad indicandam iustam rationem moralem actus eruuntur ex aestimatione bonorum nonmoralium vel praemoralium, quae sunt assequenda, et eorum nonmoralium vel praemoralium valorum, qui sunt observandi. Nonnullorum iudicio definita agendi ratio iusta aut vitiosa haberi debet, prout meliorem rerum statum omnibus, quorum interest, afferre potest aut nequit: iusta habenda esset agendi ratio, quae valeret "maxima reddere" bona, mala autem reddere "minima".

Multi moralistarum catholicorum, qui hanc opinionem sequuntur, abesse volunt ab utilitarismo et a pragmatismo, ex quibus moralitas humanorum actuum diiudicanda esset, ratione ad ultimum verum finem hominis praetermissa. Recte ipsi animadvertunt necesse esse, ut

argumentationes inveniantur rationales magis magisque solidae, quibus vitae moralis necessitates comprobentur eiusque statuantur normae. Quarum argumentationum investigatio iusta est ac necessaria, cum ordo moralis, lege naturali sancitus, humanae rationi plerumque intellectu sit facilis. Inquisitio est insuper, quae ipsis respondet exigentiis dialogi et consociatae operae cum non catholicis Christifidelibus et cum non-credentibus, specialem quidem in modum apud societates pluralisticas, quas dicunt.

75. At in conatu elaborandae eiusmodi moralis rationalis – titulo interdum "moralis autonomae" nuncupatae – *erroneae solutiones sunt, coniunctae praesertim cum inepta intellectione obiecti actionis moralis*. *Nonnulli* non satis aspiciunt voluntatem definitis implicari delectionibus, quas ipsa operatur: hae veluti condicio exstant eius moralis probitatis eiusque ordinationis ad ultimum hominis finem. *Quidam* autem adhaerescunt libertatis notioni, quae certas omittit eius usus condiciones, sinceram convenientiam cum veritate de bono, et consilium, quod per definitas se gerendi rationes cepit. Itaque, secundum has sententias, libera voluntas neque moraliter definitis obligationibus subessent, neque suis ipsis delectionibus informaretur, quamvis reciperet in se suos actus eorumque consequentias. Hic "*teleologismus*" – pro vocabulis ex diversis sententiis desumptis – aut

"consequentialismus" vocatur aut "proportionalismus", prout repetere velit definitae actionis iustas regulas e valoribus et bonis quae persequitur, a consequentiis quae praevideri possunt, aut a proportione inter bonos vel malos effectus agnita.

Doctrinae ethicae teleologicae (proportionalismus, consequentialismus, qui dicunt) etsi agnoscunt valores morales ratione et revelatione significari, minime tamen admittunt dari posse absolutam prohibitionem circa delectionem quarundam rationum sese gerendi, quae omni tempore omnique in cultura bonis illis adversentur. Subiectum agens auctor quidem esset assecutionis valorum quaesitorum, sed pro duplici aspectu; namque valores vel bona in actu humano contenta hinc ordinis moralis essent (quoad valores proprie morales, quales sunt Dei amor, benevolentia in proximum, iustitia, etc...), hinc autem *ordinis prae-moralis*, qui dicitur etiam non–moralis, physicus vel onticus (quoad commoda aut incommoda percepta sive ab agente sive ab omni persona iis serius ociusque implicata, qualia sunt valetudo aut eius damnum, integritas physica, vita, mors, amissio bonorum materialium, etc...). In mundo, ubi semper bonum malo immisceretur omnisque effectus bonus cum aliis effectibus coniungeretur malis, moralitas actus diverso modo iudicanda esset: eius "bonitas" moralis ex voluntate subiecti relata ad

bona moralia, atque eius “iusta ratio” ex consideratione effectuum vel consecutionum quae praevideri possunt eorumque proportionis. Hinc definitae sese gerendi rationes haberentur moraliter iustae aut erroneae, cum tamen voluntas moraliter bona aut mala auctoris earum aestimari non posset.

Hoc modo aliquis actus, qui a norma negativa universali dissidens, bona directe violaret “prae–moralia” habita, posset moraliter indicari licitus, si mens subiecti, pro “responsali” consideratione bonorum in definito actu contentorum, tota in decretoria tunc habita vi morali esset posita.

Aestimatio consectariorum actionis, pro proportione actus cum suis effectibus et effectuum inter se, ad ordinem tantum “prae–moralem” spectaret. De actuum morali proprietate, id est de eorum bonitate aut malitia, diudicaret tantum personae fidelitas erga praestantiores caritatis et prudentiae valores, nec eiusmodi fidelitas necessario aliena esset a delectionibus certis praeceptis moralibus particularibus contrariis. Quae praecepta, vel in materia gravi, censenda essent normae actuosae semper incertae et exceptionibus obnoxiae.

Hoc in conspectu, deliberatus consensus erga quasdam se gerendi rationes, quae illicitae ex translaticia morali existimantur, nullam obiectivam malitiam moralem prae se ferret.

**Obiectum actus deliberati**

76. Hae sententiae quandam consequi possunt vim suasoriam ex earum vicinitate cum captu scientiae, quae merito sollicita est de artificiosis et oeconomicis ordinandis agitationibus secundum computationem opum et quaestuum necnon processuum et effectuum. Ipsae contendunt absolvere hominem ab ethica obligationis, voluntaristica et arbitraria, quae inhumana proinde esset habenda.

Eiusmodi sententiae ab Ecclesiae doctrina tum deficiunt, cum putant probare se posse, velut moraliter bonas, deliberatas delectiones rationum se gerendi, quae legis divinae et naturalis praeceptis adversantur. Christifideles praecepta proprie moralia cognoscere debent ac servare, quae declarata ab Ecclesia docentur nomine Dei Creatoris ac Domini (Cfr. CONC. OECUM. TRIDENT. Sess. VI, Decr. de iustificatione *Cum hoc tempore*, can. 19: DENZ.-SCHÖNM., 1569. Cfr. etiam CLEMENTIS XI *Unigenitus Dei Filius*, die 8 sept. 1713, contra errores Paschasii Quesnel, nn. 53-56: DENZ.-SCHÖNM., 2453-2456). Cum apostolus Paulus in mandato "Diliges proximum tuum tamquam te ipsum" recapitulat Legis impletionem (Cfr. *Rom.* 13, 8-10), non mandata minuit, sed potius confirmat, quippe qui eorum exigentias demonstret et gravitatem. *Amor Dei et amor proximi separari non possunt ab observantia mandatorum Foederis*, quod renovatum est in sanguine Iesu Christi et in dono

Spiritus. Honor Christifidelium est Deo oboedire potius quam hominibus (Cfr. *Act.* 4, 19; 5, 29), ideoque et martyrium ferre, exemplo sanctorum et sanctarum Veteris et Novi Testamenti, qui tales sunt declarati, cum maluissent mori quam quidlibet facere fidei aut virtuti contrarium.

77. Eaedem quas diximus sententiae, ut rationalia iusti consilii moralis iudicia exhibeant, et *intentionis* et actionis humanae *consectariorum* rationem habent. Magna quidem consideratio est intendenda cum in intentionem, – sicut de ea Iesus peculiari cum vehementia instat scribis et Pharisaeis aperte oppositus, qui minutatim nonnullas operas praescribebant externas, corde neglecto (Cfr. *Marc.* 7, 20-21; *Matth.* 15, 19) –, tum in bona capta et mala devitata e peculiari actu manantia. Agitur de postulato responsali. Horum vero consectariorum – necnon intentionum – consideratio haud satis est ad qualitatem moralem definitae optionis iudicandam. Reputatio bonorum atque malorum, quae ab actione quadam praevideri possunt, methodus apta non est ad statuendum sitne delectio certae se gerendi rationis "secundum speciem suam" an "in se ipsa" moraliter bona aut mala, licita aut illicita. Consequentiae, quae praevideri possunt, ad ea pertinent actus adiuncta, quae actus mali gravitatem commutare quidem valent, speciem tamen moralem mutare non possunt.

Unusquisque ceteroqui novit perdifficile sibi esse vel potius impossibile, suorum actuum consectaria omnia ponderare omnesque effectus bonos aut malos, qui praemorales denominantur: rationalis aestimatio absoluta fieri nequit. Quid ergo faciendum, ut proportiones statuantur ex aestimatione, cuius iudicia obscura manent? Quo modo comprobari possit obligatio absoluta quoad computationes tam incertas?

78. *Actus humani moralitas pendet in primis et fundamentali modo ex "obiecto" deliberata voluntate rationaliter electo*, sicut etiam nunc valida evincitur acuta sancti Thomae investigatione (Cfr. S. THOMAE *Summa Theologiae*, I-II, q. 18, a. 6). Proinde, ut in actu obiectum deprehendi possit, quod ei moralem proprietatem tribuat, se collocare necesse *est in prospectu personae agentis*. Obiectum enim actus voluntatis est ratio sese gerendi libere electa. Cuiusmodi obiectum, utpote ordini rationali congruens, est causa bonitatis voluntatis, moraliter nos perficit atque expedit ad nostrum agnoscendum finem ultimum in bono perfecto, in amore primigenio. Ergo nefas est accipere, velut obiectum definiti actus moralis, processum vel eventum ordinis tantum physici, qui aestimandus sit prout gignat certum rerum statum in mundo exteriore. Obiectum est finis proximus deliberatae delectionis, quae voluntatis personae agentis est causa. Hoc sensu, sicut *Catholicae Ecclesiae Catechismus docet*, "sunt rationes

agendi, quas eligere est plenum erroris, quia earum electio admittit inordinatum voluntatis, id est malum morale” (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 1761). “Frequenter enim – ut apud Aquinatem legimus – aliquis bona intentione operatur, sed inutiliter, cum bona voluntas desit; ut si quis furetur ut pascat pauperem, est quidem recta intentio, sed deest rectitudo debitae voluntatis, unde nullum malum bona voluntate factum excusatur. «Sicut qui dicunt: faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio iusta est» (*Rom.* 3, 8)” (S. THOMAE *In duo praecepta caritatis et in decem legis praecepta.* De dilectione Dei: «Opuscola theologica», II, n. 1168, Ed. Taurinen. (1954) 250).

Ratio autem, ob quam recta non sufficit intentio, sed recta etiam exigitur operarum electio, in hoc consistit, quod, cum actus humanus ex suo pendeat obiecto, videndum est possitne obiectum ordinari ad Deum necne, ad Eum scilicet qui “solus est bonus” et ideo personae perfectionem efficit. Rectus ideo est actus, cuius obiectum cum bono personae convenit atque bona ipsi moraliter potiora servat. Ethica igitur Christiana, quae ad obiectum morale intendere mavult, interiorem “teleologiam” agendi considerare haud recusat, cum ad evehendum verum personae bonum spectet, sed agnoscit eiusmodi bonum tunc tantum re acquiri, cum essentialia naturae humanae principia servantur. Actus humanus,

rectus secundum suum obiectum, ordinari etiam potest ad finem ultimum. Idem actus consequitur ultimam decretoriamque perfectionem cum voluntas eum revera ad Deum per caritatem dirigit. Hoc sub respectu moralistarum confessorumque Patronus docet: “Non sufficit opera bona patrare, oportet ea probe patrare. Ut autem opera nostra bona perfectaque sint, necesse est ut illa fiant una mente satisfaciendi Deo” (S. ALFONSO MARIA DE' LIGUORI, *Pratica di amar Gesù Cristo*, VII, 3).

**“Malum intrinsecum”: non est faciendum malum ut veniat bonum** (Cfr. *Rom.* 3, 8).

79. *Respuenda est igitur thesis* doctrinarum teleologicarum et proportionalistarum, *quae tenet moraliter malam appellari non posse secundum suam speciem* – id est “obiectum” suum – *deliberatam quarundam rationum agendi vel definitorum actuum delectionem, si separetur ab intentione, qua patrata fuerit, aut ab universitate illius actus consectariorum, quae erga omnes, quorum interest, praevideri possunt.*

Primarium essentialeque elementum ad iudicium morale est actus humani obiectum, quod iudicat de eius *compositione ad bonum adque ultimum finem, qui Deus est.* Eiusmodi compositio intellectu animadvertitur in ipso hominis genere, in integra eius veritate inspecto, in naturalibus igitur eius propensionibus, in eius dynamismis atque propositis, quibus semper inest spiritalis mensura: haec proprie sunt quae lege naturali continentur,

idcirco ordinata universitas “bonorum pro persona” quae “bono personae” inserviunt, bono quod ipsa est eiusque perfectio. Haec sunt bona, quibus praesidio sunt leges divinae, quae totam legem naturalem continent (Cfr. S. THOMAE *Summa Theologiae*, I-II, q. 100, a. 1).

80. Atqui ratio testatur actus humani dari obiecta, quae apparent “non ordinabilia” ad Deum, quia omnino dissident a bono personae ad Ipsius imaginem creatae. Hi sunt actus, qui a morali Ecclesiae traditione “intrinsece malum” vocati sunt: tales semper per se, id est sunt ob ipsum eorum obiectum, nulla agentis eiusque aliorum adiunctorum ratione habita. Quare Ecclesia, momentum rerum adiunctorum et in primis intentionum proprium in moralem minime negans, docet esse “actus, qui per se ipsos et in se ipsis, extra adiuncta, propter obiectum suum semper sunt graviter illiciti” (IOANNIS PAULI PP. II *Reconciliatio et paenitentia*, 17; cfr. PAULI VI *Allocutio ad Sodales Congregationis Sanctissimi Redemptoris*, die 22 sept. 1967: *Insegnamenti di Paolo VI*, V, (1967) 442 ss.: «Absit ut Christifideles in diversam opinionem inducantur, quasi ex Concilii magisterio nonnulla hodie liceant, quae antea *Ecclesiae intrinsece* mala declaravit. Quis non videt exinde pravum relativismum morale oriri, ac plane totum doctrinae Ecclesiae patrimonium in discrimen adduci?»). Concilium Vaticanum II, in contextu de obsequio quod humanae debetur

personae, amplum talium actuum exemplum exhibet: "Quaecumque insuper ipsi vitae adversantur, ut cuiusvis generis homicidia, genocidia, abortus, euthanasia et ipsum voluntarium homicidium; quaecumque humanae personae integritatem violant, ut mutilationes, tormenta corpori mentive inflicta, conatus ipsos animos coërcendi; quaecumque humanam dignitatem offendunt, ut infrahumanae vivendi condiciones, arbitrariae carcerationes, deportationes, servitus, prostitutio, mercatus mulierum et iuvenum; condiciones quoque laboris ignominiosae, quibus operarii ut mera quaestus instrumenta, non ut liberae et responsales personae tractantur: haec omnia et alia huiusmodi probra quidem sunt, ac dum civilizationem humanam inficiunt, magis eos inquinant qui se gerunt, quam eos qui iniuriam patiuntur et Creatoris honori maxime contradicunt" (*Gaudium et Spes*, 27).

De actibus intrinsece malis, deque iis quae pertinent ad medicamenta quae conceptionem impediunt quorum vi coniugalis actus infecundus voluntarie redditur, Paulus PP. VI haec docet: "Verum enimvero, si malum morale tolerare, quod minus grave sit, interdum licet, ut aliquod maius vitetur malum vel aliquod praestantius bonum promoveatur, numquam tamen licet, ne ob gravissimas quidem causas, facere mala ut eveniant bona (Cfr. *Rom.* 3, 8): videlicet in id

voluntatem conferre, quod ex propria natura moralem ordinem transgrediatur, atque idcirco homine indignum sit iudicandum, quamvis eo consilio fiat, ut singulorum hominum, domesticorum convictuum, aut humanae societatis bona defendantur vel provehantur" (PAULI VI *Humanae Vitae*, 14).

81. Ecclesia, cum nos docet actus nonnullos esse "intrinsece malos", Sacrae Scripturae doctrinam sequitur. Apostolus Paulus omni asseveratione affirmat: "Nolite errare: neque fornicarii neque idolis servientes neque adulteri neque molles neque masculorum concubitores neque fures neque avari, non ebriosi, non maledici, non rapaces Regnum Dei possidebunt" (*1 Cor.* 6, 9-10).

Si actus intrinsece mali sunt, fieri potest ut recta intentio vel peculiaria rerum adiuncta malitiam quidem minuant, delere tamen nequeunt: ii "irreparabiliter" mali actus sunt, atque per se ipsos et in se ipsis ordinari nequeunt ad Deum neque ad bonum personae: "*Cum iam opera ipsa peccata sunt* – scribit sanctus Augustinus – sicut furta, stupra, blasphemiae, vel cetera talia, quis est qui dicat causis bonis esse facienda, ut vel peccata non sint, vel, quod est absurdius, iusta peccata sint?" (S. AUGUSTINI *Contra Mendacium*, VII, 18: *PL* 40, 528; cfr. S. THOMAE *Quaestiones quodlibetales*, IX, q. 7, a. 2; *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, nn. 1753-1755).

Propterea, rerum adiuncta vel intentiones, numquam actum ob obiectum suum intrinsece pravum convertere poterunt in actum “subiective” probum, vel qui defendi possit velut delectio.

82. Ceterum bona est intentio, cum ad verum personae bonum tendit, respectu finis eius ultimi. Actus vero, quorum obiectum ad Deum “ordinari non potest” atque est “persona humana indignum”, eiusmodi bono semper utcumque adversantur. Ad hanc rationem observantia normarum, quae eiusmodi actus prohibent atque semper et pro semper vim cogendi habent, seu sine ulla exceptione, non modo rectam intentionem non minuit, sed omnino fundamentalem eius constituit significationem.

Doctrina obiecti, quatenus moralitatis fons, exhibet authenticam patefactionem moralis biblicae Foederis et mandatorum, caritatis ceterarumque virtutum. Moralis proprietas humanitus agendi pendet ex hac fidelitate erga mandata, oboedientiae et amoris signo. Hac de causa – iterum dicimus – ut erronea respuenda est opinio, quae tenet deliberatam quarundam agendi rationum vel actuum definitorum delectionem non posse iudicari moraliter malam ex genere suo, nulla ratione habita voluntatis, qua delectio patrata sit, aut neglecta consectariorum universi tate erga omnes quorum interest, quae pertinere ad illum actum praevideri possunt. Sine hac

*rationali determinatione moralitatis humanitus agendi*, “ordo moralis obiectivus” affirmari non posset (*Dignitatis Humanae*, 7) neque quaelibet proponi norma finita in semet ipsa vi cogendi praedita sine ulla exceptione; et id damno humanae frater nitatis et veritatis de bono, ipsiusque communionis ecclesialis.

83. Sicut videri potest, in quaestionem de moralitate humanorum actuum, praesertim de exsistentia actuum intrinsece malorum, convenit aliquo modo *quaestio ipsa de homine*, de eius *veritate* deque consectariis moralibus inde manantibus. Ecclesia, cum agnoscit ac docet malum intrinsecum in quibusdam adesse actibus humanis, fidelitatem erga integram hominis veritatem observat, quem proinde veretur eiusque dignitati et vocationi favet. Ideoque sententias, quas supra diximus, huic veritati adversantes, ea repellere debet.

Necesse tamen est ut nos, Venerabiles Fratres in Episcopatu, non tantummodo insistamus in Christifidelibus admonendis de erroribus ac periculis quarundam ethicarum disciplinarum propriis. Nostrum est in primis fascinantem demonstrare fulgorem illius veritatis, quae est ipse Iesus Christus. In Eo, qui Veritas est (Cfr. *Io.* 14, 6), potest homo plene comprehendere perfecteque colere, per actus bonos, suam ad libertatem vocationem, divinae obtemperans legi, quae mandato amoris Dei et

proximi continetur. Id quidem accidit virtute muneris Spiritus Sancti, Spiritus veritatis, libertatis et amoris: in Eo facultas nobis datur intimandi legem eandemque percipiendi atque vivendi veluti dynamismum verae libertatis personalis: “in lege perfecta libertatis” (*Iac.* 1, 25).

CAPUT III.

**“Ut non evacuetur crux Christi”** (*1 Cor.* 1, 17) **Morale bonum pro ecclesiae et mundi vita**

**“Hac libertate nos Christus liberavit”** (*Gal.* 5, 11).

84. *Primaria quaestio*, quam supra memoratae doctrinae morales peculiariter exagitant, in necessitudine inter hominis libertatem et Dei legem versatur, quae ad extremum in *necessitudinem inter libertatem et veritatem* redigitur.

Ad fidem christianam Ecclesiaeque doctrinam “libertas tantum quae se Veritati subicit personam humanam ad verum bonum perducit. Personae bonum est in Veritate manere et Veritatem facere” (IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio ad participes Congressus internationalis theologiae moralis*, 1, die 10 apr. 1986: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, IX, 1 (1986) 970)

Ecclesiae mentem cum sociali culturalique nostrae aetatis condicione conferendo, statim eruitur necesse esse *hac in ipsa praecipua quaestione multa pastoralis opera ab ipsa Ecclesia explicetur*: “Hoc praecipuum vinculum inter Veritatem – Bonum

Libertatem maximam partem ab hodierna cultura amissum est, idcirco hominem iterum concitare ad idem rursus detegendum est Ecclesiae munus et officium ad mundi salutem. Pilati percontatio: "Quid est veritas?" ex hominis quoque maesta cunctatione patet, qui saepe non iam scit *quis sit*, unde veniat, *quo* pergat. Sic videmus humanam personam terribilem in modum proruere in condiciones sui ipsius progredientis destructionis. Si nonnullas voces audimus, natura indelebilis firmitasque nullius valoris moralis videntur amplius agnosci. Ob omnium oculos sunt vitae humanae contemptio, iam genitae et nondum natae; praecipuorum simul personae iurium violatio continuata; bonorum ad vitam mere humanam necessariorum iniqua deletio. Immo aliquid gravius accidit: homo enim non iam sibi persuasum habet in sola veritate salutem se invenire posse. Veri salutaris vis respuitur, uni libertati, ab omni obiectivitate abstractae, munere demandato de bono maloque libere decernendi. Relativismus hic in theologico ambitu diffidentia fit de sapientia Dei, qui hominem lege morali regit. Iis quae moralis lex praecipit definitae condiciones opponuntur, cum non Dei lex iam unicum verumque hominis bonum semper esse habeatur" (Ibid. 2; *l.c.*, pp. 970 s.).

85. Opera discretionis harum ethicarum doctrinarum, quam Ecclesia explere debet, non finitur earum reprehensione et recusatione, sed re

omnes fideles magna cum dilectione sustinere vult, in morali conscientiae formatione, quae iudicet itemque ad proposita secundum veritatem perducat, sicut Apostolus cohortatur:" Nolite conformari huic saeculo, sed trasformamini renovatione mentis, ut probetis quid sit voluntas Dei, quid bonum et bene placens et perfectum" (*Rom.* 12, 2). Haec Ecclesiae opera suum fulcimentum invenit – suum "secretum" institutorium – non tam in doctrinae enuntiationibus vel pastoralibus ad vigilantiam compellationibus, quam *in defigendis oculis in Dominum Iesum*. Ecclesia quotidie indefesso amore Iesum contuetur, plane conscia in Eo tantum veram et ultimam ad quaestionem moralem inveniri responsionem.

*In Iesu* nominatim *cruci affixo* praecipuae quaestioni, quae tam multos homines hodie affligit, ipsa *invenit responsum*: quomodo possit normis moralibus universalibus et immutabilibus obtemperatio observare singularitatem et non iterabilitatem personae atque non insidiari eius libertati dignitatique.

Ecclesia suam facit conscientiam quam Paulus apostolus de missione suscepta habuit: "Christus... misit me... evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi...Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis, Iudaeis

atque Graecis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam" (*1 Cor.* 1, 17. 23-24). *Christus cruci affixus verum libertatis sensum ostendit, ex quo se ipse penitus donando vivit* idemque discipulos vocat ad suam ipsius libertatem participandam.

86. Rationalis consideratio et quotidiana experientia debilitatem demonstrant, qua hominis libertas afficitur. Libertas profecto est vera, sed finita: non in se ipsa absolutum summumque principium habet, sed in exsistentia in qua versatur, quaeque simul limes est et possibilitas. De libertate agitur creaturae, de libertate scilicet donata, quae velut semen suscipienda est et officii conscientia maturanda. Pars est constitutiva creaturae illius imaginis, quae dignitatis personae fundamentum iacit: in ipsa enim resonat primigenia vocatio, qua Creator hominem ad verum bonum vocat, et etiam magis, in Christi revelatione, ad amicitiam faciendam cum eo, vitam ipsam divinam participando. Est non alienabilis sui ipsius possessio simul ac universalis ad omnes homines patefactio, per exitum ex se ad alterius cognitionem amoremque (Cfr. *Gaudium et Spes*, 24). In hominis igitur veritate fundatur libertas, atque ad communionem tendit.

Ratio et experientia non modo de debilitate loquuntur libertatis humanae, verum etiam de eius acribus casibus. Homo detegit suam libertatem arcano quodam modo ad Bonum Verumque deserendum inclinari, seque re saepius

eligere malle finita, terminata et fluxa. Quin magis in ipsis erroribus et malis electionibus capitalis rebellionis animadvertit homo originem, quae eum impellit ad Veritatem Bonumque respuenda, ut tanquam principium sui ipsius absolutum se elevet: "Vos eritis sicut Deus" (*Gen.* 3, 5). *Libertas ideo est liberanda. Christus est liberator*: "Ipse nos liberavit ut essemus liberi" (*Gal.* 5, 1).

87. Christus ante omnia revelat probam apertamque veritatis agnitionem condicionem esse veram libertatis: "Et cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos (*Io.* 8, 32)" (Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Redemptor Hominis*, 12): veritas coram potestate liberos reddit et vim dat martyrii. Ita est de Iesu coram Pilato. "Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati" (*Ibid.* 4, 23). Hoc modo Dei adoratores debent illum adorare "in spiritu et veritate" (*Io.* 18, 37): *per hanc adorationem liberi fiunt*. Vinculum cum veritate et Dei adoratio in Christo Iesu manifestantur veluti altissima libertatis radix.

Iesus praeterea sua ipsius exsistentia, non verbis tantummodo, revelat libertatem *amore* effici, *donatione* scilicet sui. Is qui dicit: "Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis" (*Ibid.* 15, 13), libere Passioni occurrit (Cfr. *Matth.* 26, 46) et Patri in cruce oboediendo vitam pro omnibus hominibus dat (Cfr. *Phil.* 2, 6-11). Hoc modo Iesu cruci affixi contemplatio praecipua est semita in qua

Ecclesiae est quotidie ambulandum si totum libertatis sensum intellegere vult, *qui est donatio sui ipsius per servitium Dei et fratribus*. Cum Domino autem cruci affixo et resuscitato communio inexhaustus est fons ex quo Ecclesia continenter haurit, ut in libertate vivat, se donet et serviat. *Psalmi XCIX (C)* versiculum explanans "Servite Domino in iucunditate", sanctus Augustinus dicit: "Libera servitus est apud Dominum; libera servitus, ubi non necessitas, sed caritas servit... Servum te caritas faciat quia liberum te veritas fecit... Simul es servus et liber: servus, quia factus es; liber quia amaris a Deo a quo factus es: immo etiam inde liber, quia amas eum a quo factus es... Servus es Domini, libertus es Domini; non te sic quaeras manumitti, ut recedas de domo manumissoris tui" (S. AUGUSTINI *Enarratio in Psalmum XCIX*, 7: *CCL* 39, 1397).

Hoc modo Ecclesia, et in ea quisque christianus, ad munus regale Christi in cruce perticipandum vocatur (Cfr. *Io.* 12, 32), ad gratiam pariter responsalitatemque Filii hominis, "qui non venit ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis (*Matth.* 20, 28)" (Cfr. *Lumen Gentium*, 36; cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Redemptor Hominis*, 21).

Iesus igitur vivum est et personale compendium perfectae libertatis in absoluta oboedientia Dei voluntati. Caro eius cruci affixa plena est inexplicabilis revelatio vinculi, quod est

inter libertatem et veritatem, sicut eius a mortuis resurrectio maxima est exaltatio fecunditatis potentiaeque salvificae libertatis in veritate actae.

**In luce ambulare** (Cfr. *1 Io.* 1, 7).

88. Oppositio, immo tota libertatis disiectio a veritate, proficiscitur, manifestatur et completur *alia graviore perniciosioreque dichotomia, ea scilicet quae fidem a morali dividit.*

Inter maximas Ecclesiae pastoralis sollicitudines adscribitur distractio haec in hodierno saecularismi processu, in quo tot, nimii multi cogitant vitamque gerunt, “veluti si Deus non esset”. Ob oculos nostros mens quaedam versatur quae, saepe, penitus, large particulatimque habitus complectitur et ipsorum christianorum consuetudines, quorum fides enervatur, et suam amittit proprietatem novae regulae explanatoriae atque activae ad personalem, familiarem socialemque exsistentiam. Reapse normae iudicii et delectionis, quas ipsi fideles sumunt, in culturae ambitu christiano late sensu carente, saepe non consentiunt cum Evangelii scriptis, immo eis obsistunt.

Novitas igitur fidei suae atque eius iudicii vis sunt christianis iterum detegendae coram praevalenti praepotentique cultura:” Eratis enim aliquando tenebrae – monet Paulus apostolus – nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate, probantes quid sit

beneplacitum Domino; et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem et redarguite; ... Videte itaque caute quomodo ambuletis, non quasi insipientes sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt" (*Eph.* 5, 8-11. 15-16; cfr. *1 Thess.* 5, 4-8).

Recuperanda ideo est et referenda fidei christianae vera effigies, quae non est simplex sententiarum aliquarum coacervatio, quas mens suscipere et ratas habere. Cognitio Christi contra est exercita, vivens est memoria mandatorum eius, *veritas colenda*. Ceterum verbum non plene accipitur nisi ad actus transmittitur, nisi ad usum devenit. Fides est consilium totam exsistentiam obstringens. Est credentis occursus, dialogus, communio amoris et vitae cum Iesu Christo, qui est Via, Veritas et Vita (Cfr. *Io.* 14, 6). Actum poscit fiduciae et animi effusionis in Christum, nobisque dat ut vivamus quemadmodum ipse vixit (Cfr. *Gal.* 2, 20), videlicet in maximo Dei et fratrum amore.

89. Fides continentiam quoque moralem habet: congruens vitae debitum gignit et requirit acceptionem et observantiam divinorum mandatorum continet et perficit. Ut Ioannes evangelista scribit, "Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae. Si dixerimus quoniam communionem habemus cum eo et in tenebris ambulamus, mentimur et non facimus veritatem... Ex hoc cognoscimus quoniam novimus eum: si

mandata eius servemus. Qui dicit: “Novi eum” et mandata eius non servat, mendax est et veritas in isto non est; qui autem servat verbum eius, vere in hoc caritas Dei consummata est. In hoc cognoscimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare” (*1 Io.* 1, 5-6; 2, 3-6).

Per moralem vitam fides fit “confessio” non modo coram Deo, verum etiam coram hominibus: fit *testimonium*. “Vos estis lux mundi – dixit Iesus – Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est” (*Matth.* 5, 14-16). Opera haec sunt praesertim opera caritatis (Cfr. *ibid.* 25, 31-46), et verae libertatis quae manifestatur et vivit ex sui ipsius donatione, *ex integra donatione sui*, ut Iesus fecit qui in cruce “dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea” (*Eph.* 5, 25). Christi testimonium fons est, exemplar et copia testificationi discipuli, qui ad eandem semitam decurrendam vocatur:” Si quis vult venire post me, abneget seipsum et tollat crucem suam cotidie et sequatur me” (*Luc.* 9, 22). Caritas, secundum praecepta evangelica penitus iubentia, ad extremum martyrii testimonium perducere potest fidelem. Iesum semper sequentes, qui in cruce moritur, “estote

ergo imitatores Dei sicut filii carissimi – scribit Paulus ad Ephesios – et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit seipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis" (*Eph.* 5, 1-2).

**Martyrium, exaltatio inviolabilis sanctitatis legis Dei**

90. Inter fidem et moralem fulgide splendet necessitudo *in absoluta observantia quae debetur delebilibus dignitatis personalis cuiusque hominis exigentiis*, quae normis moralibus defenduntur, quae actus *intrinsece malos* prohibent sine exceptione. Universalitas immutabilitasque moralis normae manifestant simulque inserviunt absolutae naturae personalis dignitati, hominis scilicet inviolabilitati, in cuius vultu Dei splendor emicat (Cfr. *Gen.* 9, 5-6).

Reiectio doctrinarum ethicarum "teleologicarum", "consequentialistarum" et "proportionalistarum", quae moralium normarum negativarum et sine exceptione firmarum exsistentiam negant ad definitas agendi rationes pertinentium, apertissime confirmatur praesertim christiano martyrio, quod semper est comitatum et etiamnunc Ecclesiae vitam comitatur.

91. In Antiquo iam Foedere mira erga sanctam Dei legem inveniuntur fidelitatis testimonia, voluntaria mortis acceptione confirmatae. Clarae significationis est *Susannae* narratio: duobus iniustis iudicibus, qui interimere

eam minabantur, si ea eorum respuisset libidinem, sic respondit: “Angustiae sunt mihi undique: si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras; sed melius mihi est absque opere incidere in manus vestras quam peccare in conspectu Domini” (*Dan.* 13, 22-23). Susanna “absque opere incidere” praeoptans in iudicum manus, non modo suam fidem fiduciamque testatur in Deum, verum et suam oboedientiam veritati et absoluto ordini morali: sua ad martyrium prompta voluntate asseverat iustum non esse patrare quod Dei lex declarat malum ut bonum quiddam inde eveniat. Ipsa “meliorem partem” sibi eligit: clarum est testimonium, sine ullo medio consilio, veritati redditum atque Deo Israel quoad bonum; sic actibus suis Dei sanctitatem ostendit.

In ipso Novi Testamenti initio *Ioannes Baptista*, recusans servare silentium de lege Domini atque compromissum facere de male, “animam suam posuit pro iustitia et pro veritate” (*Missale Romanum*, «In Passione S. Ioannis Baptistae», Collecta), atque ita Messiae praecursor exstitit etiam in martyrio (Cfr. *Marc.* 6, 17-29). Propter hoc “clausus est obscuritate carceris, qui venit testimonium perhibere de lumine quique ab ipsa luce, quae Christus est, lucerna ardens et lucens appellari meruit; et ipse proprio cruore baptizatus est, cui Redemptorem mundi baptizare... donatum erat” (S. BEADE

VENERABILIS *Homeliarum Evangelii Libri*, II, 23: *CCL* 122, 556557).

In Novo Foedere plura inveniuntur testimonia *adsectatorum Christi* – initio facto a diacono Stephano (Cfr. *Act.* 6, 8-7, 60) atque ab apostolo Iacobo (Cfr. *ibid.* 12, 1-2) – qui martyres mortui sunt ut suam confiterentur fidem suumque in Magistrum amorem neve Eum negarent. Hac in re illi secuti sunt Dominum Iesum, qui coram Caifa et Pilato "reddidit bonam confessionem" (*1 Tim.* 6, 13), nuntii sui veritatem confirmans vitae dono. Innumeri alii martyres persecutiones mortemque tulerunt potius quam idolatricum actum agerent thus incendendo ante Imperatoris signum (Cfr. *Apoc.* 13, 7-10). Simulare etiam talem cultum recusaverunt, sic vel speciem definitae rationis agendi se respuere demonstrantes Dei amori contrariae et fidei testimonio. In oboedientia demandaverunt illi, quemadmodum Christus ipse fecit, et concrediderunt suam vitam Patri, Ei qui salvos a morte facere poterat (Cfr. *Hebr.* 5, 7).

Ecclesia exempla multorum *sanctorum sanctarumque* proponit, qui veritatem moralem praedicaverunt atque defenderunt usque ad martyrium vel mortem praetulerunt uni peccato mortali. In sanctorum numerum eos adscribendo, Ecclesia eorum testimonium canonizavit et verum eorum iudicium declaravit, ad quod Dei dilectio mandata necessario servanda eaque non

declinanda respuendaque complectitur, in condicionibus quoque gravioribus, etiam cum proposito servandi vitam.

92. In martyrio, qua moralis ordinis inviolabilitatis affirmatione, legis sanctitas ac simul dignitatis hominis personalis inviolabilitas splendent, qui ad Dei imaginem et similitudinem est creatus: dignitas haec est nunquam imminuenda vel adversanda, quamvis bona mente, quaecumque sunt difficultates. Iesus summa severitate nos admonet: "Quid prodest homini, si lucretur mundum totum et detrimentum faciat animae suae?" (*Marc.* 8, 36). Martyrium quidem "humanam significationem" uti falsam et fallacem infitiatur, quam actui per se moraliter malo quis tribuere velit, etiam in condicionibus "singularibus"; immo amplius veram eius effigiem revelat, quae est *"humanitatis" hominis violatio*, in eo iam prius qui illum committit quam in eo qui eundem patitur (Cfr. *Gaudium et Spes*, 27). Martyrium est quoque perfectae "humanitatis" praeconium et verae "vitae" personae, ut sanctus Ignatius Antiochenus testatur, fideles alloquens Romae commorantes, ubi pro fide passus est: "Ignoscite mihi fratres: non impediatis me vivere: non velitis me mori... dimittite me purum lumen percipere; ubi illuc advenero, *homo ero*. Concedite mihi imitatorem esse passionis Dei mei" (S. IGNATII

ANTIOCHENI *Ad Romanos*, VI, 2-3: *Patres Apostolici*, ed. F.X. FUNK, I, 260-261).

93. Martyrium demum *signum est praeclarum sanctitatis Ecclesiae*: fidelitas sanctae Dei legi, quam mors testificatur, manifestum est nuntium missionariumque officium *usque ad sanguinem*, ne veritatis moralis splendor in more atque in personarum societatisque mente obumbretur. Testimonium hoc summi ponderis praebet iuvamen, ne, non modo in civili societate sed etiam in ipsis communitatibus ecclesialibus, in periculosissimum deveniatur discrimen, quod hominem afficere poterit: in confusionem nempe boni et mali, quae condere servareque singulorum societatumque ordinem moralem non patitur. Martyres, generatimque Sancti in Ecclesia, eloquenti allicientique exemplo vitae totaliter splendore veritatis moralis illustratae, quamlibet historiae aetatem illuminant, eius moralem sensum excitando. Claro suo testimonio de bono, ipsi viva fiunt obiurgatio iis quotquot legem violant (Cfr. *Sap.* 2, 12) atque etiam tempore hoc nostro repercutiunt prophetae verba: "Vae, qui dicunt malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras in lucem et lucem in tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum!" (*Is.* 5, 20).

Si martyrium testificationis fastigium exstat erga moralem veritatem, ad quod praebendum pauci comparate vocantur, est nihilominus congruens testimonium, ad quod praestandum

Christifideles omnes cotidie se parare debent, perpessionibus incommodisque gravibus haud obstantibus. Etenim prae multiplicibus difficultatibus quas etiam in communibus rerum adiunctis fidelitas erga ordinis moralis naturam exigere potest, fidelis vocatur, adiuvante Dei gratia precibus invocata, ad officium interdum strenuum, virtutis fortitudine fultus, qua – ut sanctus Gregorius Magnus docet – ille vel "huius mundi aspera pro aeternis praemiis amare" (S. GREGORII MAGNI *Moralia in Job*, VII, 21, 24: *PL* 75, 778) potest.

94. Hanc absolutam naturam boni moralis testificantes, *christiani soli non sunt*: omnium populorum morali sensu confir mantur ac religiosis sapientialibus pariter traditionibus Orien tis et Occidentis, non sine interiore arcanaque Spiritus Dei ac tione. Omnibus testimonis sit poetae Latini Iuvenalis sententia: "Summum crede nefas animam praeferre pudori et propter vitam vivendi perdere causas" (IUVENALIS *Satirae*, VIII, 83-84). Conscientiae vox semper sine ambiguitate monuit veritates esse bonaque moralia pro quibus vitam impendere parati simus oportet.

In verbo, ac praesertim in vitae sacrificio pro morali valore, Ecclesia agnoscit idem testimonium illi veritati, quae iam in creatione praesens, plene in Christi vultu splendet: "Quia tamen Stoici – scribit sanctus Iustinus – in his

saltem, quae de moribus dixerunt, praeclare sese habuerunt, id quod poetis interdum contigit propter insitum omni hominum generi rationis semen, eos qui ab hac disciplina profecti sunt, odiis flagrasse e occisos esse scimus" (S. IUSTINI *Apologia*, II, 8: *PG* 6, 457-458).

**Morales normae universales immutabilesque ad personae inserviendum et societati**

95. Ecclesiae doctrina, et peculiariter eius firmitas in tuenda universali et perpetua auctoritate praeceptorum vetantium actus intrinsece malos, non raro intolerandae rigiditatis signum iudicatur, praesertim in rerum condicionibus admodum implicatis et conflictoriis vitae moralis hominis societatisque aetatis nostrae. Quae rigiditas Ecclesiae materno sensui contradiceret.

Haec, asseverant, indulgentia caret et miseratione. Sed re, Ecclesiae maternus sensus ab eius institutionis missione seiungi non potest, quam semper ea, veluti fidelis Sponsa Christi, qui ipse est Veritas, tueri debet: "Uti Magistra numquam pronuntiare desistit moralem regulam... cuius autem normae Ecclesia profecto nec auctrix est nec arbitra. Christi obtemperans veritati, cuius imago in personae humanae dignitate indoleque refertur, Ecclesia interpretatur normam moralem, quam universis bonae voluntatis hominibus proponit, non tacens officium a mediis consiliis

funditus abhorrens atque perfectionem postulari" (IOANNIS PAULI PP. II *Familiaris Consortio*, 33).

Reapse vera benignitas atque aequa miseratio amorem personae significare debent eiusdem simul vero bono germanaeque libertati. Hoc autem non accidit abscondendo et imminuendo moralem veritatem, sed hanc in recondita sua significatione proponendo veluti effusionis Sapientiae aeternae Dei, quae ad nos in Christo pervenit, et hominis servitii, eiudem libertatis augendae persequendaeque felicitatis (Cfr. *ibid.* 34).

Eodem tempore veritatis moralis clara et firma expositio numquam praetermittere potest altam sinceramque observantiam, liberali fidentique amore concitatam, quo semper indiget homo in morali suo itinere, difficultatibus saepe lacessito, erroribus acribusque condicionibus. Ecclesia, utpote quae numquam relinquat "principium veritatis et consonantiae, ex quo non consentit bonum appellare malum nec malum bonum" (EIUSDEM *Reconciliatio et paenitentia*, 34) studere semper debet ne calamum quassatum conterat neve linum fumigans exstinguat (Cfr. *Is.* 42, 3). Scripsit Paulus PP. VI: "Porro si nihil de salutari Christi doctrina demittere praecellens quoddam caritatis erga animos genus est, at idem semper cum tolerantia atque caritate coniungatur oportet, quarum ipse Redemptor, cum hominibus et colloquens et agens, exempla prodidit. Is enim,

cum venisset non ad iudicandum, sed ad salvandum mundum (Cfr. *Io.* 3, 17), acerbe quidem severus in peccata, sed patiens ac misericors in peccatores fuit" (PAULI VI *Humanae Vitae*, 29).

96. Ecclesiae firmitudo in moralibus normis universalibus immutabilibusque tuendis nihil habet contumeliosi; verae hominis libertati solummodo inservit: quandoquidem praeter vel contra veritatem nulla libertas habetur, absoluta defensio, nimirum laxamentis et accomodationibus amotis, earum rerum, quas omnino necessarioque hominis personalis dignitas postulat, via est diiudicanda et condicio ipsius exsistentiae libertatis.

Servitium hoc *omni homini* praebetur, in singularitate et non iterabilitate suae essentiae et exsistentiae considerato: solum in normis moralibus servandis homo se ipsum plene confirmat suamque verae moralis auctionis facultatem. Quapropter servitium hoc *omnibus hominibus* destinatur: non modo singulis, verum et communitatibus, societati qua tali. Nam normae hae fundamentum constituunt stabile solidumque pignus iusti et pacifici humani convictus, ideoque veri popularis regiminis, quod oriri solummodo augerique potest in aequitate omnium membrorum suorum, iuribus et officiis consociatorum. *Pro moralibus normis, quae malum intrinsecum prohibent, non dantur privilegia, neque*

*exceptiones*: mundi esse dominum vel “miserrimum” omnium in terra nihil refert: prae moralibus postulatis omnes sumus omnino aequales.

97. Morales sic normae, imprimis negantes id est malum prohibentes, suam *significationem* suamque pariter *vim moralem socialemque prae se ferunt*: inviolabilem personalemque dignitatem cuiusque hominis sustinentes, eaedem ipsi sociali compagini humanae inserviunt et eiusdem recto uberique progressui.

Peculiariter alterius tabulae Decalogi mandata, quorum Iesus quoque Evangelii iuveni mentionem fecit (Cfr. *Matth.* 19, 18), regulae sunt primigeniae omnis socialis vitae.

Haec mandata generali ratione enuntiantur. Sed propterea quod “principium, subiectum et finis omnium institutorum socia lium est et esse debet humana persona” (*Gaudium et Spes*, 25), primaria mandata illa finiri possunt et explicari minutioribus distinctioribusque normis rationis agendi. Hoc sensu morales leges fundamentales socialis vitae *certa postulata* secum ferunt, quibus tum publica auctoritas, tum cives accommodare se debent. Praeter intentiones, nonnunquam bonas, praeterque circumstantias, saepe difficiles, civiles potestates et singularia subiecta nunquam praecipua et non alienabilia personae humanae iura violare sinuntur. Sic moralis sola doctrina, quae normas morales

semper et pro omnibus validas agnoscit, nulla admissa exceptione, fundamentum ethicum socialis convictus, simul nationalis simul internationalis, praestare potest.

**Moralis atque socialis civilisque vitae renovatio**

98. Prae gravibus socialis et oeconomicae iniustitiae formis civilisque corruptionis quibus integri populi ac Nationes afficiuntur, augescit indignatio plurimorum hominum qui indigne et contumeliose tractantur in suis fundamentalibus iuribus, atque vulgatior in dies et acrior fit personalis socialisque *absolutae renovationis necessitas* cuius vi iustitia provideatur, necessitudo, probitas, rerum perspicuitas.

Longum profecto et laboriosum est iter emetiendum; plurimi ingentesque conficiendi sunt conatus ad id genus renovationem exsequendam etiam ob causarum multitudinem et gravitatem quae conflant et sustentant iniustitiae formas quae in mundo exstant. Tamen sicut uniuscuiusque historia ususque confirmant, haud est difficile invenire veluti harum formarum fundamentum, causas proprie “culturales”, coniunctas scilicet cum finitis hominis opinationibus, societatis rerumque universitatis. Reapse in intima culturalis quaestionis parte inest *sensus moralis*, qui ex parte sua nititur *sensu religioso* et in eo perficitur (Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Centesimus Annus*, 24).

99. Unus Deus, Bonum supremum, constituit constans fundamentum et condicionem, quae nullo modo substitui potest, moralitatis ideoque mandatorum, potissimum quidem mandatorum negantium, vetantium scilicet semper atque quovis casu agendi rationem nec non actus qui minime congruunt cum cuiusque personae dignitate. Sic supremum Bonum bonumque morale inter se conveniunt *in veritate*: veritate Dei creatoris et redemptoris atque veritate hominis ab Eo creati atque redempti. Tantum super hanc veritatem exstrui potest societas renovata solvique possunt implicatae gravesque quaestiones eam exagitantes, in primis quidem quaestio superandi dissimillimas *totalitarismi* formas ut via aperiatur germanae hominis *libertati*. "Totalitarismus ex veritate obiective negata oritur: si enim transcendens non datur veritas cui obtemperans homo suam plenam capessit proprietatem, tum vero nullum datur principium stabile quod iustas necessitudines inter homines praestet. Etenim quod ordinis, coetus cuiusdam, Nationis proprium est, necessario efficit ut alii contra alios decertent. Nisi transcendens aliqua veritas agnoscitur, vis imperii superat, atque quae habet instrumenta quisque penitus adhibere contendit ut suum commodum imponat suamque mentem, iuribus aliorum contemptis. Sic proinde tantundem homini parcitur, quantum veluti instrumentum adhiberi potest ad solum

dominantium profectum. Hodierni igitur totalitarismi radix in negatione reperitur dignitatis transcendentis humanae personae, quae est visibilis imago Dei invisibilis, quapropter per se ipsa iurium subiectum, quam nemini licet violare: neque scilicet individuo, neque numero cuidam neque ordini neque Civitati Nationive. Ne maiori quidem socialis corporis parti istud permittitur contra minorem partem ut se ponat et eam secludat, opprimat, abutatur eandemque delere studeat (IOANNIS PAULI PP. II *Centesimus annus*, 44; cfr. LEONIS XIII *Libertas Praestantissimum*, die 20 iun. 1888: *Leonis XIII Acta*, VIII, Romae 1889, 224 ss.).

Propter hoc veritatis et libertatis conexio indissolubilisque sane inter Dei sapientiam voluntatemque exprimit fundamentale vinculum – summi momenti significationem habet pro hominum vita in regione oeconomica – sociali et politica – sociali, sicut quidem patet ex Ecclesiae doctrina sociali – socialis Ecclesiae doctrina "theologiae ac quidem theologiae morali accensetur" (IOANNIS PAULI PP. II *Sollicitudo Rei Socialis*, 41), e atque ab ipsius exhibitione praeceptorum dirigentium, non solum quod attinet ad habitus generales sed etiam ad certas statutasque agendi rationes finitosque actus, vitam socialem, oeconomicam civilemque.

100. Sic Catholicae Ecclesiae Catechismus affirmat: "In re oeconomica dignitatis personae

humanae observantia exercitium postulat virtutis temperantiae ad moderandam bonorum huius mundi cupiditatem; virtutis *iustitiae*, ad iura proximi verenda et ad ei dandum, quod eidem debetur; necnon *mutuae humanae necessitudinis*, regulam auream sequendo et secundum Domini liberalitatem, qui propter nos “egenus factus est, cum esset dives”, ut “illius inopia” nos divites essemus (*2 Cor.* 8, 9)” (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 2407).

Deinde exhibet successionem morum et actuum repugnantium humanae dignitati qui sunt: furtum, consulto tenere res mutuatas vel amissas, fraudem moliri in commercio (Cfr. *Deut.* 25, 13-16), mercedes iniustas solvere (Cfr. *ibid.* 24, 14-15; *Iac.* 5-4), pretia efferre, lucra faciendo ex aliena ignorantia aut necessitate (Cfr. *Am.* 8, 4-6), usurpatio et usus privatus bonorum societatis bonis gignendis, opera male confecta, fraus fiscalis, adulteratio mandatorum nummariorum ac mercium venditarum rationis, sumptus immodici, dispendia etc (Cfr. *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 2408-2413). Et insuper: “Septimum mandatum prohibet actus vel incepta, quae, quamlibet ob causam, ad proprium commodum pertinentem vel ideologicam, negotiatoriam vel dictatoriam, *ad servitutem hominum* ducunt, ad eorum personalem dignitatem neglegendam, ad eos emendos et vendendos et ad eosdem commutandos ac si merces essent. Personas vi redigere ad pretium

usus vel ad lucri fontem, grave est peccatum contra earum dignitatem earumque iura fundamentalia. Sanctus Paulus domino cuidam christiano praecipit ut servum suum christianum tractet “iam non ut servum, sed... fratrem... et in carne et in Domino (*Philem.* 16)” (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 2414).

101. In regione politica animadvertendum est veritatis amorem in rationibus inter gubernatores et gubernatos, perspicuitatem in publica administratione, in servitio rei publicae aequitatem, observantiam iurium adversariorum politicorum, iurium accusatorum tutelam contra iudicia promptasque damnationes, aequam atque probam publicae pecuniae tractationem, recusationem ambiguorum vel illicitorum mediorum ad potestatem quolibet modo obtinendam, retinendam vel augendam, principia esse primum suum invenientia fundamentum – sic ut suam primam properationem – in personae transcendentali dignitate inque obiectivis moralibus postulatis operositatis Nationum (Cfr. IOANNIS PAULI PP. II *Christifideles Laici*, 42). Quotiescumque ea non coluntur, ipsum politicae consortionis fundamentum desinit omnisque socialis vita gradatim in discrimen adducitur atque ruit in dissipationem (Cfr. *Ps. 14* (13), 3-4). Post lapsum multis in Nationibus doctrinarum, quae rationem civilem conectebant cum absoluta rerum naturae opinatione – in

primis inter eas Marxiana doctrina – discrimen nunc patefit, non minus grave, ob repudiationem fundamentalium iurium personae humanae atque usurpationem ex parte rei publicae administratorum ipsius religiosae postulationis quae exsistit in corde cuiusvis hominis: *est discrimen foederis inter democratiam et ethicum relativismum*, qui convictum civilem privat quavis tuta morali ratione eum efficiendo omnino veritatis agnitione nudatum. Etenim "nulla si sit postrema veritas quae quidem politicam actionem dirigat et moderetur, ideo notiones et persuasiones ad imperium adipiscendum veluti instrumenta commode usurpari possunt. Populare regimen principiis carens, in totalitarismum manifestum occultumve facile vertitur, ut hominum annales commonstrant" (IOANNIS PAULI PP. II *Centesimus Annus*, 46).

Sic quavis in personalis vitae regione, familiari, sociali, et politica, moralis – quae veritate innititur atque in veritate germanae libertati se aperit – peculiare praebet ministerium, quod substitui non potest, atque maximi momenti non pro singulari tantum persona atque pro ipsius incremento in bono, sed etiam pro societate eiusque sincera progressione.

**Gratia atque legi Dei oboedientia**

102. Etiam in difficillimis condicionibus homo debet normam moralem servare, ut sancto Dei oboediat mandato et suae congruens sit

personali dignitati. Libertatis veritatisque concordia postulat, interdum, impendia haud mediocria, atque magno comparatur: requirere potest etiam martyrium. At, sicut universalis cotidianaque experientia nos docet, homo inducitur ad interimendam eiusmodi consensionem: “Non quod volo, hoc ago, sed quod odi, illud facio... Non enim, quod volo bonum, facio, sed, quod nolo malum, hoc ago” (*Rom.* 7, 15-19).

Unde oritur, postremo, haec interior hominis dissensio? Suam ille incipit peccati historiam quando non amplius agnoscit Dominum Creatorem suum, atque ipse tantum decernere vult quae sint bona malave, plene sui iuris factus, nulli obnoxius. “Eritis sicut Deus scientes bonum et malum” (*Gen.* 3, 5): haec est prima temptatio, cui respondent omnes aliae temptationes, quibus ad cedendum facilius inclinatur homo ob originalis lapsus vulnera.

Temptationes tamen superari possunt, peccata vitari, quia simul cum mandatis facultatem nobis dat Dominus legem colendi: “Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnovit omnem operam hominis. Nemini mandavit impie agere et nemini dedit spatium peccandi” (*Sir.* 15, 19-20). Observantia legis Dei, quibusdam in rerum condicionibus, ardua fieri potest, immo difficillima: numquam tamen impossibilis. Haec est constans doctrina traditionis Ecclesiae, hac

ratione a Concilio Tridentino significata: "Nemo autem, quantumvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet; nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis et petere quod possis, et adiuvat ut possis; etenim «Dei mandata gravia non sunt» (*1 Io.* 5, 3) atque eius iugum suave est et onus leve (Cfr. *Matth.* 11, 30)" (CONC. OECUM. TRIDENT. Sess. VI, Decr. de iustificatione *Cum hoc tempore*, cap. 11: DENZ.-SCHÖNM., 1536; cfr. can. 18: DENZ.-SCHÖNM., 1568. Clarus sancti Augustini textus, a Concilio laudatus, depromitur ab opere *De natura et gratia*, 43, 50: *CSEL* 60, 270).

103. Semper conceditur homini spiritalis via ad spem, *divina gratia adiuvante* atque *humana libertate operam navante.*

In Iesu cruce servatrici, in Spiritus Sancti dono, in Sacramentis e Redemptoris latere transverberato prosilientibus (Cfr. *Io.* 19, 34) invenit Christifidelis gratiam atque robur ut servet semper sanctam Dei legem, etiam gravissimas inter difficultates. Sicut dicit sanctus Andreas Cretensis, lex ipsa "gratia vivificata est: atque illa quidem subiugata, haec autem concinne coaptata et iuncta: non permistis confusisque, quae alterius propria erant cum alterius propriis,sed divine

admodum commutato, si quod grave erat et servum et captivum, in id quod est leve et liberum" (S. ANDREAE CRETENSIS *Oratio*, I: *PG* 97, 805-806).

*Tantum in Redemptionis Christi mysterio exstant hominis "definitae" facultates*. "Error esset gravissimus concludere... normam ab Ecclesia traditam esse per se ipsam tantum "perfecti formam", aptandam deinde, accommodandam, disponendam, aiunt, secundum definitas hominis possibilitates, prout sane postulat "libramentum diversorum bonorum de quibus agitur". Sed quae sunt «definitae hominis possibilitates»? *De quo* homine est sermo? De homine concupiscentia *gubernato* an de homine *a Christo redempto*? Etenim agitur de hoc, *de veritate* redemptionis Christi. *Christus nos redemit!* Quod est: Ipse nobis dedit *facultatem* adducendi ad effectum *integram* eius, quod sumus, veritatem; Ipse nostram libertatem liberavit a concupiscentiae *dominatu*. Si homo redemptus adhuc peccat, hoc profecto tribuendum non est Christi imperfectae actioni redemptrici, sed hominis voluntati sese subtrahendi gratiae ex eadem actione profluenti. Dei mandatum profecto hominis facultatibus est accommodatum, sed hominis facultatibus cui Spiritus Sanctus est datus; hominis illius qui, si in peccatum proruerit, remissionem obtinere tamen poterit atque Spiritus praesentia frui (IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio ad participes cuiusdam*

*tractationis de responsali procreatione*, 4, die 1 mar. 1984: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, VII, 1 (1984) 583).

104. Hoc in contextu iustum aperitur spatium *misericordiae* Dei pro peccato hominis poenitentiam agentis atque *clementiae pro humana fragilitate*. Quae clementia numquam significat in discrimen adducere vel adulterare boni malique mensuram ut ea rerum adiunctis accommodetur. Si quidem proprium est hominis, cum peccavit, suam agnoscere fragilitatem misericordiamque impetrare ob culpam patratam, respuenda sane est ratio agendi illius qui fragilitatem suam facit regulam et iudicium veritatis de bono, ita ut a se solo sentiat se excusari posse, auxilio Dei non petito neque Eius misericordia invocata. Eiusmodi agendi ratio totius societatis moralitatem corrumpit, quia in quaestionem vocat legis moralis veritatem in universum, atque recusat absoluti naturam moralium prohibitionum circa finitos actus humanos et existimationis iudicia confundit.

Nobis contra accipiendus est nuntius qui profertur ab evangelica parabola Pharisaei et publicani (Cfr. *Luc.* 18, 9-14). Publicanus ratione quadam excusari poterat de peccatis suis atque minore culpa coargui. Non tamen his excusationibus innititur eius oratio, sed ipsius indignitate coram infinita Dei sanctitate: "Deus, propitius esto mihi peccatori" (*Ibid.* 18,

13). Pharisaeus contra ipse se excusat, inveniendo fortasse purgationem pro unoquoque errore. Sumus ita ante duas diversas agendi rationes moralis conscientiae hominis omnium temporum. Publicanus quidem conscientiam exhibet "poenitentem", plane infirmitatis naturae suae consciam, utpote quae in delictis suis, quaecumque sunt subiectivae excusationes, confirmationem inveniat necessitatis redemptionis pro se ipsa. Pharisaeus contra conscientiam exhibet "se ipsa contentam", quae quidem putat se servare posse legem nulla gratia auxiliante, atque persuasum sibi habet se minime indigere misericordia.

105. Omnibus invigilandum est ne Pharisaico polluantur habitu, qui amovere conatur termini sui conscientiam suique peccati, quique nostris diebus sese indicat singulariter conatu aptandi normam moralem facultatibus suis suisque utilitatibus, vel etiam ipsius notionis normae recusatione. Contra, disparitatem accipere inter legem humanamque facultatem, id est facultatem unicarum virium moralium hominis sibi ipsi relicti, gratiae desiderium inflammat et ad eam recipiendam praeparat. "Quis me liberabit de corpore mortis huius?" – secum quaerit apostolus Paulus. Atque laeta grataque confessione respondet: "Gratias autem Deo per Iesum Christum Dominum nostrum!" (*Rom.* 7, 24-25).

Eandem invenimus conscientiam in hac sancti Ambrosii Mediolanensis oratione: “Quid est enim homo nisi quia visitas eum? Non ergo obliviscaris infirmum, memento quia pulverem me finxisti. Quomodo stare potero, nisi solidaturus hoc lutum semper intendas, ut de vultu tuo soliditas mea prodeat? “Cum averteris faciem, turbabuntur omnia” (*Ps. 104 (103)*, 29): si intendas, vae mihi. Non habes quod in me aspicias nisi contagia delictorum: nec deseri utile nec videri est, quia dum videmur offendimus. Possumus tamen aestimare quia non repellit quas videt, quia emundat quos aspicit. Ignis ante eum ardet, qui crimen exurat (Cfr. *Ioe.* 2, 3)” (S. AMBROSII *De interpellatione David*, IV, 6, 22: *CSEL* 32/2, 283-284).

**Moralis atque nova evangelizatio**

106. Exstat evangelizatio maxima fulgidissimaque provocatio Ecclesiae oppetenda inde a sui ipsius ortu. Reapse, hanc provocationem non sociales rerum condiciones culturalesque inducunt in quas Ecclesia incidit in historico itinere, sed potius Iesu Christi qui a mortuis resurrexit mandatum, quippe qui ipsam exsistentiae Ecclesiae causam definiat: “Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae” (*Marc.* 16, 15).

Aetas tamen, qua vitam degimus, plures saltem apud populos, praestanti quidem ratione “novam evangelizationem” concitat, id est ad

novum usque Evangelii nuntium semperque rerum novarum gestatorem, evangelizationem dicimus quae sit “nova fervore suo, viis et rationibus, suoque habitu” (IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio ad Episcopos consociationis CELAM*, III, die 9 mar. 1983: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, VI, 1 (1983) 698). Christianae fidei amissio, quae integros obtundit populos communitatesque olim fide christianaque vita praestantes, non fidei tantum amissionem adducit vel quoquo modo ipsius pro vita inanitatem, sed etiam atque necessario, *sensum moralis remissionem vel defectionem*: hoc sane fit sive ob dissolutionem conscientiae de evangelicae mora litatis proprietate, sive ob ipsorum principiorum fundamentalium que ethicarum virtutum defectionem. Propensiones subiectivistae, utilitaristae et relativistae hodie late diffusae, sese exhibent non veluti pragmaticas condiciones tantum, veluti morum indicia, sed veluti opinationes solidatas pro parte rationali, eo ut suam vindicent plenam culturalem socialemque auctoritatem.

107. Evangelizatio – ideoque “nova evangelizatio” – *secum fert etiam nuntium moralemque propositionem*. Ipse Iesus, utique Regnum Dei praedicando suumque salvificum amorem, arcessitum ostendit ad fidem adque conversionem (Cfr. *Marc.* 1, 15). Petrus vero, una cum ceteris Apostolis, Iesu Nazarethani resurrectionem a mortuis praedicando, novam proponit vitam

degendam, novam "viam" sequendam iis qui Christi a mortuis suscitati discipuli esse volunt (Cfr. *Act.* 3, 37-41; 3, 17-20).

Sicut atque etiam amplius quam pro fidei veritatibus, nova evangelizatio quae proponit moralis christianae fundamenta significationesque suam prodit veritatem eodemque tempore suum integrum emittit missionale robur cum expletur per donum non solum verbi *nuntiati*, sed etiam, et quodam modo praesertim, per donum verbi ad rem *deducti. Singulariter est sanctitatis vita*, quae tot in populi Dei membris fulget, demissis saepiusque ab oculis hominum remotis, quae simpliciorem venustioremque constituit viam, quam sequentes confestim percipere possumus veritatis pulchritudinem, amoris Dei vim liberantem, praestantiam fidelitatis absolutae omnibus legis Domini postulatis, etiam in adiunctis difficillimis. Idcirco Ecclesia sua morali arte educandi, Christifideles semper est adhortata, ut inquirerent atque invenirent in utriusque sexus sanctis, speciatim vero in Virgine Dei Matre "plena gratiae" atque "omnimode sancta", exemplar, robur laetitiamque ad vitam agendam secundum Dei mandata atque Evangelii Beatitudines.

Sanctorum vita, repercussio bonitatis Dei – Qui "solus est bonus" – non veram tantum constituit fidei confessionem impulsionemque ad eam cum aliis communicandam, sed insuper laudationem Dei eiusque infinitae sanctitatis. Sic

vita sancta operam dat ut triplex et unicum *munus propheticum, sacerdotale et regale*, quod quisque christianus dono accipit suo in novo baptismali ortu "ex aqua et Spiritu" (*Io.* 3, 5), ad significationis effectionisque plenitudinem perveniat. Ipsius moralis vita possidet praestantiam cuiusdam "cultus spiritualis" (Cfr. *Rom.* 12, 1; cfr. *Phil.* 3, 3), deprompti atque sustentati inexhausto illo sanctitatis et laudationis Dei fonte qui sunt Sacramenta, praesertim vero Eucharistia: etenim christianus sacrificium Crucis participando cum amore donationis Christi communicat atque idoneus redditur obligationeque distringitur, ut eandem caritatem colat in plenitudine propositorum atque vitae institutorum. In morali exsistentia denotatur atque expletur etiam christiani regale munus: quo magis, gratia adiuvante, ille novae Spiritus Sancti legi oboedit, eo crescit in libertate ad quam vocatur per veritatis ministerium, caritatis et iustitiae.

108. Novae evangelizationis fundamentum novaeque vitae moralis, quam ea proponit atque excitat fructibus suis sanctitatis et missionalis navitatis, est *Spiritus Christi*, principium atque robur fecunditatis sanctae Matris Ecclesiae, sicut nos monet Paulus PP. VI: "Nulla unquam fieri potest praedicatio sine Sancti Spiritus munere" (PAULI VI *Evangelii Nuntiandi*, 75). Iesu Spiritui, recepto ab humili docilique credentis animo,

debentur igitur christianae moralis vitae flos sanctitatisque testimonium ampla sua vocationum varietate, donorum, responsalium partium vitaeque rerum condicionum: est enim Spiritus Sanctus – iam Novatianus denotabat, hac in re germanam Ecclesiae fidem significans "Qui ipsorum animos mentesque firmavit, qui evangelica sacramenta distinxit, qui in ipsis illuminator rerum divinarum fuit, quo confirmati pro nomine Domini, nec carceres nec vincula timuerunt, quin immo ipsas saeculi potestates et tormenta calcaverunt, armati iam scilicet per ipsum atque firmati, habentes in se dona quae hic idem Spiritus Ecclesiae Christi sponsae quasi quaedam ornamenta distribuit et dirigit. Hic est enim qui prophetas in Ecclesia constituit, magistros erudit, linguas dirigit, virtutes et sanitates facit, opera mirabilia gerit, discretiones spirituum porrigit, gubernationes contribuit, consilia suggerit, quaeque alia sunt charismatum dona componit et digerit, et ideo Ecclesiam Domini undique et in omnibus perfectam et consummatam facit" (NOVATIANI *De Trinitate*, XXIX, 9-10: *CCL* 4, 70).

Vivo in contextu huius novae evangelizationis, praestitutae ut gignat nutriatque fidem "quae per caritatem operatur" (*Gal.* 5, 6), atque relative ad Spiritus Sancti opus, intellegere nunc possumus quinam locus in Ecclesia, credentium communitate, sit tribuendus

*commentationi a theologia excolendae de vita morali*, pariterque exhibere missionem atque responsalitatem propriam theologorum moralistarum.

**Ministerium magistrorum theologiae moralis**

109. Universa Ecclesia, particeps facta *muneris prophetici* Domini Iesu per donum eius Spiritus, ad evangelizationem vocatur et ad testimonium vitae fidei perhibendum. Spiritus veritatis gratia, qui assidue adest in ea (Cfr. *Io.* 14, 16-17), "universitas fidelium, qui unctionem habent a Spiritu Sancto (Cfr. *1 Io.* 2, 20.27), in credendo falli nequit, atque hanc peculiarem suam proprietatem supernaturali sensu fidei totius populi manifestat, cum "ab Episcopis usque ad extremos laicos fideles" universalem suum consensum de rebus fidei et morum exhibet" (Cfr. *Lumen Gentium*, 12).

Prophetici muneris sui explendi causa, assidue Ecclesia suam vitam fidei excitare vel "suscitare" debet (Cfr. *2 Tim.* 1, 6), specialem in modum, duce Spiritu Sancto, per subtiliorem usque considerationem rerum, quae fide proprie continentur. In ministerio inserviendi huic "fideli inquisitioni intellectus fidei *theologorum "vocatio"* in Ecclesia vere ponitur: "Inter vocationes, quas Spiritus suscitat in Ecclesia – legimus in Instructione Donum veritatis – illa eminet theologorum, quorum munus est peculiari modo

sibi comparare, in communione cum Magisterio, profundiorem usque perceptionem Verbi Dei, quod in Scripturis inspiratis continetur, et per Traditionem vivam per Ecclesiam transmittitur. Suapte natura fides intellectum interpellat, quia homini veritatem ipsius finis revelat viamque ad eum consequendum. Etiamsi haec veritas omnem nostrum loquendi modum superat, atque cognitiones nostrae impares sunt exprimendae eius magnitudini, quae plene comprehendi non potest (Cfr. *Eph.* 3, 19), nihilominus invitat intellectum – Dei donum ad percipien dam veritatem datum – ut in suam lucem ingrediatur atque ita capax evadat quodammodo id intellegendi, quod credidit. Discipli na theologica, quae, obsequens voci veritatis quaerit intellectum fidei, Populum Dei adiuvat, secundum Apostoli praeceptum (Cfr. *1 Petr.* 3, 15), ad rationem reddendam de spe iis, qui id poscant" (CONGR. PRO DOCTRINA FIDEI *Donum Veritatis*, 6, die 24 maii 1990: *AAS* 82 (1990) 1552).

Caput definitionis identitatis theologiae, ac proinde exsecutionis eius ipsius muneris, ponitur in percipiendo eius *intimo vivoque nexu cum Ecclesia, eius mysterio, eius vita ac munere*: "Theologia est scientia ecclesialis, quia in Ecclesia crescit et in Ecclesia agit... Cum Ecclesiae serviat, debet se in munus Ecclesiae insertam sentire, praesertim vero in eius propheticum munus" (IOANNIS PAULI PP. II *Allocutio ad professores et auditores Pontificiae*

*Studiorum Universitatis Gregorianae*, 6, die 15 dec. 1979: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, II, 2 (1979) 1424). Theologia authentica suapte natura atque vi dynamica in flore esse progressusque facere nequit, nisi certe et responsali ratione cum Ecclesia communicando ad eamque pertinendo ut "communitatem fidei", quemadmodum in hanc ipsam Ecclesiam et in eius vitam fidei recidit theologicae inquisitionis et perscrutationis fructus.

110. Quae de theologia in universum hucusque dicta sunt, deuo et pro *theologia morali* proponi potest ac debet, prout est scientia quae proprie recogitat de *Evangelio veluti dono et mandato novae vitae*, de vita secundum veritatem in caritate (Cfr. *Eph.* 4, 15), de vita sanctitatis Ecclesiae, in qua refulget veritas boni usque ad perfectionem elati. Non modo in ambitu fidei, sed etiam, et quidem indivisibiliter, in ambitu disciplinae moralis interponitur Magisterium Ecclesiae, cui munus est "discernendi, ope iudiciorum quae conscientiam fidelium obstringant, actus qui in se ipsis fidei necessitatibus sint conformes eiusque manifestationem in actione vitae promoveant, ab actis, qui e contra ex intrinseca malitia cum iisdem necessitatibus componi non possunt" (CONGR. PRO DOCTRINA FIDEI *Donum Veritatis*, 16, die 24 maii 1990: *AAS* 82 (1990) 1557). Praedicans mandata Dei et caritatem Christi, *Magisterium Ecclesiae* fideles docet etiam

peculiaria et determinata praecepta, petens ab eis, ut moraliter obligatoria ea religiose habeant. Magnum praeterea vigilantiae munus exercet in fidelibus monendis de erroribus adventiciis, quamvis implicitis, cum eorum conscientia ad iustas verasque normas morales agnoscendas, quas Magisterium edocet, non pervenit.

Hic interponitur munus proprium eorum, qui mandato legitimorum Pastorum theologiam moralem in Seminariis et in Facultatibus Theologicis docent. Grave eorum officium est edocere fideles – praesertim futuros Pastores – omnia mandata et normas re adhibendas, quae Ecclesia cum auctoritate declarat (Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 252, 1; can. 659, 3). Haud obstantibus terminis argumentationum humanarum a Magisterio exhibitarum, theologi doctrinae moralis debent rationes eius praescriptionum excutere, praescriptionum ab eodem nuntiatarum auctoritatem et vim obligatoriam explanare, mutuumque inter eas nexum et cum ultimo hominis fine coniunctionem demonstrare (Cfr. CONC. OECUM. VAT. I *Dei Fiulius*, cap. 4: DENZ.-SCHÖNM., 3016). Ipsorum eiusmodi theologorum est exponere doctrinam Ecclesiae suoque in ministerio perfungendo exemplum sinceri obsequii interni externique institutioni Magisterii propriae cum in re dogmatica, tum in re morali tribuere (Cfr. PAULI VI *Humanae Vitae*,

28). Viribus coniunctis, operae cum Magisterio hierarchico consociandae causa, theologi fundamenta biblica usque melius patefacienda curabunt, una cum significationibus ethicis argumentisque anthropologicis, quae doctrinam moralem ab Ecclesia propositam eiusque de homine iudicium sustinent.

111. Ministerium, quod nunc theologi doctrinae moralis exercere debent, maximi momenti est, non solum pro vita ac munere Ecclesiae, sed etiam pro societate humanaque cultura. Eorum est, intimo ac vitali nexu cum theologia biblica et dogmatica servato, docta consideratione in luce ponere "aspectum dynamicum qui responsionem illustrat, quam oportet homo det vocatui divino in processu sui in amore auctus, in ambitu communitatis salvificae. Hoc modo theologia moralis internum spiritale momentum adipiscetur, respondens necessitatibus pleni progressus imaginis Dei, quae est in homine, et legibus processus spiritalis in christiana doctrina ascetica atque mystica descriptis" (S. CONGR. DE INSTIT. CATHOLICA *Formatio theologica futurorum sacerdotum*, 100, die 22 febr. 1976; cfr. etiam nn. 95-101 qui prospectum exhibent et condiciones pro fecundo labore renovationis theologicae-moralis).

Hodie sane theologia moralis eiusque institutio in peculiari difficultate versantur.

Quoniam moralis Ecclesiae necessario *rationem quae praecipit postulat*, theologia idcirco moralis delabi nequit ad cognitiones in simplici contextu *scientiarum humanarum*, quae dicuntur, elaboratas. Quae cum phaenomeni moralitatis veluti rei historicae et sociali deditae sint, theologia moralis, quae quidem scientis et hominum ac naturae uti debet, tamen eventibus inspectionis empiricae formalis vel intellegentiae phaenomenologicae nequaquam est obnoxia. Enimvero, quod est scientiarum humanarum proprium, id semper in theologia morali ad originalem interrogationem referri debet: *Quid est bonum aut malum? Quid faciendum ad consequendam vitam aeternam?*

112. Theologus rei morali deditus diligentem igitur exercere debet discretionem in contextu hodiernae culturae magnam partem scientificae et technicae, relativismi pragmatismi et positivismi periculis obnoxiae. Iuxta sententiam doctrinae theologicae non ex historico tempore principia moralia pendent in quo revelantur. Quod autem nonnulli credentes doctrinam Magisterii neglegunt, vel moraliter iustam sese gerendi rationem existimant, quae divinae legi a Pastoribus declarata sit contraria, argumentationem validam inducere non potest ad repudiandam veritatem normarum moralium, quae ab Ecclesia docentur. Asseveratio moralium principiorum ad vias rationesque empiricas formales non pertinet. Eiusmodi methodorum

vim haud infitians, sed ne prospectus quidem suos ad eas redigens, theologia moralis, fidelis sensui supernaturali fidei, considerationem potissimum intendit in *dimensionem spiritalem humani cordis in eiusque vocationem ad divinum amorem*.

Nam dum humanae scientiae, sicut omnes disciplinae experimentis constantes, explicant "normalitatis" cognitionem empiricam atque ad rationalem doctrinam pertinentem, fides docet hanc normalitatem iam secum ferre vestigia lapsus hominis a condicione sua primigenia, id est peccati vulnera. Una Christiana fides homini declarat viam reditus "ad initium" (*Matth.* 19, 8), quae via saepe admodum alia est ac normae empiricae. Ita humanae disciplinae, etsi tot praebent cognitiones magni aestimandas, tamen decretorios normarum moralium indices gerere nequeunt. Evangelium integram de homine veritatem revelat deque eius morali itinere, atque sic lumen menti praefert et monet peccatores eis nuntiando misericordiam Dei, qui incessanter operatur, ut eos servet sive a desperatione, quia legem divinam cognoscere vel servare non possunt, sive ab iactantia sese salvandi sine meritis. Eos insuper monet de gaudio peccatorum remissionis, quae una dat ut in lege morali liberatricem veritatem et gratiam spei vitaeque viam agnoscere valeamus.

113. Moralis doctrinae institutio assumptionem requirit consciam eiusmodi

onerum intellectualium, spiritalium et pastoralium. Quam ob rem theologi moralis disciplinae, qui Ecclesiae doctrinae docendae mandatum accipiunt, magnum habent officium educandi fideles ad morale hoc iudicium, ad studium veri boni, atque ad divinam gratiam fidenti animo implorandam.

Si concursus aut conflictus opinionum communia vitae publicae sunt signa in contextu popularis regiminis repraesen tativi, moralis doctrina ex ethica "procedurali", quam appellant, pendere profecto non potest: minime enim illa definiri potest secundum regulas formasque deliberationis ordinis democratici. *Dissensio*, quae statutis constat reclamationibus et contentionibus ope communicationis socialis instrumentorum, *contraria est communioni ecclesiali rectoque intellectui constitutionis hierarchicae Populi Dei.* In repugnatione doctrinae a Pastoribus traditae iusta agnosci nequit significatio christianae libertatis diversorumque Spiritus donorum. Hac in re Pastores convenienter cum munere suo apostolico operari debent, exposcentes ut *ius fidelium* semper servetur ad doctrinam catholicam suscipiendam pura sua integritate: "theologus, numquam obliviscens se ipsum quoque membrum esse Populi Dei, erga eum maxima cum reverentia se gerere debet, atque officium suscipere magisterium illi impertiendi, quod nullo modo doctrinam fidei laedat" (CONGR. PRO

DOCTRINA FIDEI *Donum Veritatis*, 11, die 24 maii 1990,: *AAS* 83 (1990) 1554; cfr. praesertim nn. 32-39 spectantes ad quaestionem de dissentione: *l.c.*, pp. 1562-1568).

**Pastoralia onera nostra**

114. Sponsio de fide vitaque fidei Populi Dei specialem in modum Pastores proprie onerat, sicut Concilium Vat. II nos admonet: "Inter praecipua Episcoporum munera eminet praedicatio Evangelii.

Episcopi enim sunt fidei praecones, qui novos discipulos ad Christum adducunt, et doctores authentici seu auctoritate Christi praediti, qui populo sibi commisso fidem credendam et moribus applicandam praedicant, et sub lumine Sancti Spiritus illustrant, ex thesauro Revelationis nova et vetera proferentes (Cfr. *Matth.* 13, 52), eam fructificare faciunt erroresque gregi suo impendentes vigilanter arcent (Cfr. *2 Tim.* 4, 1-4)" (*Lumen Gentium*, 25).

Nostrum omnium officium, omniumque etiam communis gratia, est, qua Pastorum ac Episcoporum Ecclesiae, illa fideles docere, quibus iidem in via Dei ducuntur, quemadmodum Christus Dominus iuvenem, de quo in Evangelio, rogantem docuit. Quaerentem, enim, "quid boni faciam ut habeam vitam aeternam?" (*Matth.* 19, 16), Iesus ad Deum remisit, Dominum creationis et Foederis, commonefecit de mandatis moralibus in Vetere Testamento iam revelatis; quorum

spiritum precipuamque auctoritatem demonstravit, suadens ei ut illa sequeretur in paupertate, in humilitate et in amore: “veni, sequere me”. Cuius doctrinae veritas sanguine Christi in Cruce obsignata est: in Spiritu Sancto nova Ecclesiae omniumque Christifidelium lex est facta.

Huiusmodi “responsum” ad postulatum morale, a Christo Domino praesertim nobis veluti Ecclesiae Pastoribus est commissum, qui ad id vocati sumus ut in nostro *prophetico munere* explendo id clarificemus. Pastorale simul munus nostrum erga christianam moralitatis doctrinam etiam in modum muneris sacerdotalis exerceri debet: quod accidit, cum dona gratiae et sanctificationis fidelibus dispensamus, ut legi sanctae Dei parere valeant, cumque credentes sustinemus assidua fidentique deprecatione nostra, ut, in fidei exigentiis firmi manentes, secundum Evangelium vivant (Cfr. *Col.* 1, 9-12). Christiana moralitatis doctrina hodie praesertim unus esse debet ex praecipuis ambitibus vigilantiae nostrae pastoralis atque exercitii nostri *muneris regalis*.

115. Nunc primum enim Ecclesiae Magisterium satis largiter praecipua eiusmodi doctrinae elementa exponit, atque rationes ostendit pastoralis discretionis necessariae in rerum culturarumque condicionibus implicatis et nonnumquam incertis.

Praelucente Revelatione, assidua Ecclesiae ac praesertim Concilii Vaticani II doctrina, proprietates libertatis essentiales et praecipua bona cum dignitate personae coniuncta cumque eius actuum veritate paucis commemoravimus, adeo ut, in obtemperatione legi morali, gratia agnosci possit signumque nostrae praedestinationis in adoptionem filiorum per Iesum Christum, unicum Dei Filium (Cfr. *Eph.* 1, 4-6). Nominatim hisce Litteris Encyclicis existimationes proponuntur de nonnullis propensionibus, quae in theologia morali nunc notantur. Has hic vulgamus, obtemperantes verbo Domini qui Petro dedit mandatum confirmandi fratres (Cfr. *Luc.* 22, 32), ut commune nostrum discernendi iudicium illustremus auxilioque ei simus.

Unusquisque nostrum dignoscit vim doctrinae qua constat harum Litterarum Encyclicarum institutionis caput, quaeque hodie commemoratur auctoritate successoris Petri. Unusquisque nostrum gravitatem totius rei, quae ambigitur, discernere potest, non singulis tantum personis, sed universae etiam societati, confirmatione *universalitatis et immutabilitatis moralium praeceptorum*, potissimum quidem praeceptorum vetantium semper et sine exceptionibus *actus intrinsece malos*.

In eiusmodi mandatis agnoscendis cor christianum et pastoralis nostra caritas oboediunt

rogatui Illius, qui "prior dilexit nos" (*1 Io.* 4, 19). A nobis postulat Deus ut sancti simus, sicut ipse sanctus est (Cfr. *Lev.* 19, 2), ut – in Christo – perfecti simus sicut ipse perfectus est (Cfr. *Matth.* 5, 48): urgens huius mandati firmitas in inexhausta nititur Dei misericordia (Cfr. *Luc.* 6, 36), mandatumque eo spectat, ut cum Christi gratia nos in via plenitudinis vitae, filiorum Dei propria, gubernet.

116. Episcopale pertinet ad nos munus *providendi de verbo Dei fideliter tradendo*. Pastoralis ministerii nostri pars est, Venerabiles in Episcopatu Fratres, curare ut fideliter morale huiusmodi magisterium transmittatur, necnon opportune prospicere ut fideles ab omni doctrina custodiantur et opinatione, quae illi adversetur. Quo in munere omnibus nobis auxiliantur quidem theologi; opiniones tamen theologicae neque regula sunt nostri magisterii neque lex. Eius auctoritas, praesente Spiritu Sancto nostraque communione *cum Petro et sub Petro*, ex nostra scatet fidelitate erga catholicam fidem ab Apostolis receptam. Proprium Episcoporum grave nostrum est officium curandi *personaliter*, ut fidei et moralis "sana doctrina" (*1 Tim.* 1, 10) nostris in dioecesibus tradatur.

Episcopis nominatim imponitur onus praestandi id, quod est de *catholicis institutis*. Sive structurae sunt ad pastoralem domesticam vel socialem accommodatae, sive corpora ad

docendum destinata aut ad curas medicas, Episcopi haec condere et agnoscere possunt, eisque mandare ut aliqua in se recipiant; numquam tamen suis ipsorum officiis exsolvuntur. Episcoporum est, in communione cum Sancta Sede, agnoscere, aut gravibus incidentibus discrepantiae causis, auferre usurpationem nominis "catholici" scholis (Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 803, 3), Athenaeis (Cfr. *ibid.*, can. 808), valetudinariis atque sedibus ceteris socialibus ad salutem aptis, quae aliquid rationis cum Ecclesia habent.

117. In corde Christifidelis, in intimo hominis animo, semper interrogatio resonat, qua iuvenis ille Evangelii rogavit Iesum: "Magister, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam?" (*Matth.* 19, 16). At opus est, ut quisque id quaerat ex Magistro "bono", quia unus is est, qui in plena veritate respondere potest, in omni rerum condicione, in diversissimis adiunctis. Fidelibus ex imo pectore id rogantibus respondit Dominus per Novi Foederis verba, quae commisit Ecclesiae. Nos vero, sicut de se dicit Apostolus, missi sumus "evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi" (*1 Cor.* 1, 17). Quam ob rem in iis, quae Ecclesia interroganti homini respondet, sapientia continetur ac potentia Christi cruci affixi, qui Veritas est se donans.

*Cum homines Ecclesiam interrogant de sua conscientia*, cumque fideles in Ecclesia se ad Episcopos et Pastores convertunt, tunc *in Ecclesiae responso vox est Iesu Christi, vox veritatis de bono* et malo. In verbo ab Ecclesia dicto resonat, in intimis personarum animis, vox Dei, qui “unus est bonus” (*Matth.* 19, 17), qui solus “caritas est” (*1 Io.* 4, 8.16).

In *unctione Spiritus* dulce severumque hoc verbum lux ac vita fit homini. Adhuc Paulus apostolus ad fiduciam nos invitat, quia “sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non litterae sed Spiritus... Dominus Spiritus est: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tamquam a Domini Spiritu” (*2 Cor.* 3, 5-6. 17-18).

CONCLUSIO.

**Maria Mater Misericordiae**

118. Hisce in extremis considerationibus, nos ipsos cum doloribus et gaudiis vitae nostrae, vitam moralem credentium hominumque bonae voluntatis, necnon investigationes studiosorum doctrinae moralis, Mariae commendamus Matri Dei et Matri misericordiae.

Mater ipsa est misericordiae, quia Iesus Christus, Filius eius, a Patre missus est veluti

revelatio divinae misericordiae (Cfr. *Io.* 3, 16-18). Non venit damnare homines, sed peccata dimittere, misericordia uti (Cfr. *Matth.* 9, 13). Maximaque misericordia consistit in commoratione eius inter nos et in vocatione qua provocamur ad occurrendum obviam ei adque profitendum, una cum Petro, eum esse "Filium Dei vivi" (Cfr. *ibid.* 16, 16). Nullum est peccatum hominis quod misericordiam Dei exstinguere possit, aut impedire quo minus totam eius victricem vim suam effundat dummodo imploremus. Quin immo, peccatum ipsum efficit, ut vel magis amor Patris refulgeat, qui captivum ut redimeret, suum immolavit Filium (*Missale Romanum*, «In Resurrectione Domini », Praeconium paschale: «O inaestimabilis dilectio caritatis: ut servum redimeres, Filium tradidisti»): nobis redemptio est misericordia eius. Quae misericordia ad plenitudinem pervenit per donum Spiritus, qui novam vitam gignit et postulat. Quantacumque et quotcumque ei impedimenta opponuntur fragilitate et peccato hominis, tamen Spiritus, qui renovat faciem terrae (Cfr. *Ps. 104 (103)*, 30), efficit ut miraculum fieri possit perfectae exsecutionis boni. Huiusmodi renovatio, quae facultatem dat faciendi quod est bonum, nobile, pulchrum, Deo acceptum eiusque voluntati consentaneum, flos est, quadam ratione, doni misericordiae, quae e mali servitute eripit, facultatemque dat non amplius peccandi. Per

donum vitae novae nos sui amoris participes facit Iesus et in Spiritu ad Patrem nos ducit.

119. Consolatoria haec est christianae fidei persuasio, cui fides ipsa vehementem suam humanitatem et *simplicitatem extraordinariam* debet. Interdum, in implicatis quaestionibus ordinis moralis disserendis, christiana doctrina moralis ex se nimis difficilis videri potest, ardua intellectu ac impossibilis servatu. Quod falsum est, quia doctrina illa, secundum evangelicam simplicitatem, consistit *in adsectatione Iesu Christi* et in nobis ipsis Ei tradendis, necnon in sinendo ut ipsius gratia transformemur atque eius misericordia renovemur: quae ad nos perveniunt per vitam communionis Ecclesiae eius. "Qui vult vivere – nos monet sanctus Augustinus – habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum" (S. AUGUSTINI *In Iohannis Evangelium Tractatus*, 26, 13: *CCL*, 36, 266). Praelucente Spiritu, omnis homo, idemque vel minus doctus, immo etiam in primis qui "cor simplex" (*Ps. 86 (85)*, 11) servaverit, intellegere potest absolutam moralis christianae essentiam. Ceteroqui, simplicitas haec evangelica non ex obeunda rerum implicatione eximit, sed in veriorem earum intellegentiam inserere potest, quia Christi adsectatio gradatim ponet in luce verae christianae moralitatis proprietates, unoque tempore vitales vires ad eam exsequendam dabit.

Ecclesiastici Magisterii est vigilanter curare, ut dynamismus adsectationis Christi ordinatim ac distincte augescat, postulatis moralibus non falsatis neque occultatis una cum omnibus earum consectariis. Qui Christum diligit, mandata eius servat (Cfr. *Io.* 15, 14).

120. Maria Mater est misericordiae hac etiam de causa, quod Iesus suam ei credidit Ecclesiam universumque genus humanum. Ad Crucem, cum Ioannem ut filium accipit, cum id una cum Christo flagitat a Patre, ut ignoscat illis qui nesciunt quid faciunt (Cfr. *Luc.* 23, 34), Maria pro plena sua erga Spiritum docilitate divitias experitur et universalitatem caritatis Dei, quae, cor eius dilatans, aptam eam reddit ad omne amplectendum genus hunanum. Ita omnium et cuiusque nostrum Mater est facta, Mater quae divinam misericordiam nobis obtinet.

Maria fulgidum est ac pulcherrimum vitae moralis exemplum: "talis enim fuit Maria, ut eius unius vita omnium sit disciplina", scribit sanctus Ambrosius (S. AMBROSII *De Virginibus*, lib. II, 15: *PL* 16, 222), qui alloquens nominatim virgines, sed prospectum omnibus expeditum complectens, sic affirmat: "Primus discendi ardor nobilitatis est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam Splendor elegit?" (*Ibid.* 7: *PL* 16, 220). Maria suam excolit et perficit libertatem, sese Deo tradens Deique donum in se recipiens. Filium Dei hominem factum suo in

virginali sinu custodit usque ad eius nativitatem, nutrit, educit et comitatur in supremo illo libertatis facinore, quod est plenum vitae sacrificium. Dono sui ipsius Maria in consilium Dei, qui hominibus se tradit, tota ingreditur. Illos in corde suo accipiens et conferens eventus, quos non semper intellegit (Cfr. *Luc.* 2, 19), exemplum fit eorum omnium, qui audiunt verbum Dei et custodiunt (Cfr. *ibid.* 11, 28), meritoque "Sedes Sapientiae" appellatur. Quae Sapientia ipse est Christus Iesus, aeternum Dei Verbum, qui voluntatem Patris revelat et ad amussim facit (Cfr. *Hebr.* 10, 5-10). Maria invitat omnem hominem ad hanc Sapientiam accipiendam. Nobis quoque, quod servis illis Canae Galilaeae intra nuptiale convivium, id mandat: "Quodcumque dixerit vobis facite" (*Io.* 2, 5).

Maria particeps quidem est humanae condicionis nostrae, sed in plena perspicuitate gratiae Dei. Cum nullum admiserit peccatum, omnem debilitatem excusare potest. Amore Matris ipsa peccatorem comprehendit ac diligit. Ob id ipsum, veritatem sequitur et cum Ecclesia partem ponderis habet in omnibus hominibus semper admonendis de moralibus necessitatibus. Eademque de causa non patitur peccatorem ab eo decipi, qui eum amare praesumat illius peccatum probando; nam probe scit ita inane reddi sacrificium Christi, Filii sui. Nulla absolutio, quae ex indulgentibus doctrinis etiam philosophicis vel

theologicis provenit, hominem vere felicem facere potest: una Crux gloriaque Christi ab inferis excitati, pacem eius conscientiae eiusque vitae salutem donare possunt.

O Maria,<br>
Mater Misericordiae,<br>
omnibus nobis prospice,<br>
ne inanis reddatur crux Christi,<br>
ne deerret homo a via bonitatis,<br>
neque peccati conscientiam amittat,<br>
sed spem sibi augeat in Deo,<br>
"qui dives est in misericordia" (*Eph.* 2, 4),<br>
libere exsequatur opera bona ab Eo<br>
praeparata (Cfr. *ibid.* 2, 10)<br>
et sic fiat totam per vitam<br>
"in laudem gloriae eius" (*Ibid.* 1, 12).

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VI mensis Augusti, in festo Transfigurationis Domini, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.*

IOANNES PAULUS PP. II